





1936
III

DIVA VIRGO CRACOVIENSIS CARMELITANA IN ARENIS SEV VIOLETO.

Toto Regno Poloniarum, Miraculis
CELEBERRIMA;
OLIM
A PerIllustri & Admodùm Reuerendo Domino
NICOLAO GRODZINSKI
S.R.M. SECRETARIO
EX VOTO SCRIPTA:
Nunc verò ob Maiorem in dies Miraculorum
Gloriam, à Deuotis eiusdem Arenensis
CARMELI Cultoribus, ac Fratribus,
luci publicæ
EXPOSITA.
Anno à partu Virginis 1669.

CRACOVIÆ,
Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typogr:

Z książek Łepkowskiego



Lucida Virgineos quæ lambit Cynthia gressus,
Quæque Sacrum cingit, fulgida stella caput;
In TVA, REX MICHAEL, Augusta Insignia cessit,
Jamque eadem TECVM, symbola Virgo gerit.
DIVINÆ carus quàm sis, intellige, MATRI:
Cum TE Syderibus laureat Ipsa Suis.





DIVA VIRGO CRACOVIENSIS CARMELITANA in Arenis seu VIOLETO.

Ioã Alexander Gorczyn Pol.





SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

MONARCHÆ,

MICHAELI KORYBVTH,

DEI GRATIA

REGI POLONIÆ,

Magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Kijouiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Czerniechouiæquè &c. &c.

DOMINO DOMINO CLEMENTISSIMO.



Egalem Thronũ Tuũ, admirando cœlorũ suffragio, ad Orbis Christiani gloriã, stuporẽq; productũ; cũ vniuersa nuper, nouo publicæ lætitiæ apparatu, exceperit Sarmatia, REGINA quo-

quoque POLONIÆ, nouum ſub Auſpicijs TVIS, CARMELI Decorem induta, rediuiuam TIBI, in Arenis gloriæ ſuæ præſentat Maieſtatem, SERENISSIME AC POTENTISSIME REX. Triumphalem Illi magnificentiam hanc, Auguſtum Regiæ Purpuræ Tuæ decus, in veſtimentis lætitiæ contulit; cùm non decuerit, Sceptrorum Poloniæ Dominam, ad ſolennia Maieſtatis, purpuram & byſſum, negligere; aut in Regali paludamento ſuo, vel minimùm ex illa temporum nube, quæ perpetuam bellorum inclementiã tulerat, conſeruare. Satis equidem Illa, obluctantibus Poloniæ fatis, in Arena ſua reſtitit; pulueremq;, & ſquallorem informium ruderũ, non reuerita; elegit potiùs, abſquè gloriæ ſuæ veſtigio, abſquè cultu, Thronoquè Regio, propè Regiam Craci, in Arenis ſpectari; quam vt Poloni Nominis veſtigium omne, ſæuus ille ab Aquilone turbo, æternùm confunderet. ſed

iam

iam pro Corona Regni hactenus inuicta, ad Coronam Tecum, Fascesquè Augustior venit. admirandum illud secretum, nunc tandem è profundo suo eruens; quòd, non ante Miracula sua, ex voto scripta, in Orbis faciem dederit; quàm Electio Tua, in Orbis Miraculum, ex omniũ populorũ voto prodiret: ceu idem propè arcanũ fuerit, Regem Te in Arena Electionis, post IAGELLONES ex KORYBVTHEO Sanguine, Diuinitùs fieri; & in Arenis suis REGINAM POLONIÆ à D. IAGELLONE fundatã, sub KORYBVTHEO sceptro, gloriã suscitare. Intellige hic ô REX AVGVSTE! quã Tibi omnia miro sæculorũ cõsensu, ad Coronã destinata venerint; cum ipsæ ètiàm Carmeliticæ Arenæ, supplices Te Cœlo poposcerint; ne alius IAGELLONICAM, quam germanus KORYBVTORVM sanguis, purpuram indueret. Vtque eâdẽ Augusta manus, quæ Carmeli Arenensis fundamenta iecerat, cõponeret ruinas. Habent quippe genium quendam

dam

dam Maiestatis, Regales Arenæ istæ; quas, vt inuenisse, eius non nisi monitu, per quam Reges regnant, VLADISLAO HERMANO, POLONIARVM MONARCHÆ licuit; ita deductis è Carmelo Fratribus, custodiendas tradidisse VLADISLAO IAGELLONI concessum; nouo ad extremùm post feralia busta gloriæ apparatu surgentes, ad CORONAM KORYBVTHEAM, pertinuisse oportuit. Vt enim Cor Tibi nostrum, quod corã Ara Arenarum Virginis, in conspectu Domini effundimus, gaudio publico euisceratum pateat; quãquam Te cœlitus datum, nemo non Delitium suũ putet; Est tamen aliquid, quod nos, supra cæterorum delitias, in Augusto nomine Tuo, peculiarius reficiat. Illud verò sacer IAGELLONVM genius est, qui Tibi & loco huic, communis omninoquè natalis, vt non diuisit Maiestatem sanguine, ita nec Pietatem sceptro, planeq; post tot sæculorũ rudera, inter rudera hostilitatis fecit, vt dum vitã iterũ, gratiãq; IAGEL-

LONICAM

LONICAM quærimus, Tu ipſe maximum nobis gratiarũ diploma fieres PRINCEPS; qui Poloniæ Tuæ factus es, nouâ è cælo gratiâ, nouum Liberæ gentis Arcanum. Non capit in Te gaudia ſua, iudiciaquè Sarmaticus Orbis, gaudetquè in huiuſmodi opere Diuino, ſuccũbere captus ſuos, fatiſcereque; quod totis licet ſæculis quæſijſſet, in ſimili abſolutum puncto, humanis nunquam inueſtigaſſet conſilijs, eum Te Principem habens, in quo Sãguis, Animus, Indoles, Virtus, omnia ex Regum cenſu, Thronoquè, omnia ex faſtigio mortalium ſummo, ex deſiderij publici voto, guſtuquè. Ad purpuram Sanguinis Tui, veniunt tot ſæculis Imperijſq; ſuis onuſtæ, Imperatorum Orientis & Occidentis Purpuræ; veniũt PALLEOLOGI, BASILII, CONSTANTINI, à Boſphoro Bizantino AVGVSTI; veniunt à Fortunatis Inſulis, ſub quorũ ſceptro Sol nunquã occidit HISPANIÆ; & cum ijs AVSTRIÆ, BOHEMIÆ, VNGARIÆ, GERMANIÆ, DY-

NASTÆ

NASTÆ, REGES, CÆSARES; venit producta vltra GEDIMINVM OLGERDVMQ; magnorũ Lithuaniæ Ducum vetustas; veniunt Regia IAGELLONVM, & KORYBVTHORVM paludamenta; veniunt ad extremùm OSTROGII, ZAMOSCII, ODROWAZII, KOSTKANI, Diuis etiam consanguinei splendores: vt si deductum ex magno Sangnine Regem Polonis nasci liceret; non aliæ eum Cunæ, magis purpuratæ decuissent, nisi Libertas hic, & Regum Mater & Cunarum, omnis purpura sit. Parentum certè Maiestatis Tuæ, par illud geminum ex quo Tu Gemma es; quam Augustum Tibi venerit, Tu Ipse illis, in quem tota Eorum magnitudo transijt, & Intelligentia & Panegyris summa. HIEREMIAS quippè KORYBVTH, Dux Wisniouecius, Tuus & Patriæ Parens Inuictissimus, Tauricæ. Moschuæ, & Orientis terror. Martis Poloni compendium & vita, deuota semper pro bono publico, & nunquam satis æstimanda vi-

ctima

ctima GRIZELDIS CONSTANTIA PRINCEPS. Tua & felicitatis publicæ Parens Serenissima, noua Sarmatiæ Pallas: vtraquè non hominum, sed virtutum nomina, tam in sublimi laudum posita sunt; vt ex Throno non nisi Regio dici, aut ex Te solo, qui vtriquè Nomini sufficis, concipi & æstimari posſint. Parcimus hic Religioso Calamo, ne ad Maiestatis Decora asſurgere cõfidentius audeat; magno tamen affectui illi, qui dulci quadam Publicæ lætitiæ violentiâ, ipsa etiam Asceteria peruasit, haud quaquã parcimus; cùm Te Regem nostrum eâ Pietate, Sapientiâ, Clementiâ, Integritate, Magnitudine animi intuemur, qualem anxijs optare votis diu licuit; similem totis excipere, complectiquè gaudijs, non alias semper licebit. Augusta hæc Orbi Polono, & ad aurei sæculi normã, & amussĩ formata, CARMELO quoq; Arenẽsi ad auspiciũ felicitatis, planè Diuina sunt; qui cũ Cœlo deducta Maiestatis Tuæ Insignia, intra Coronæ Sarmati-

cæ fulgura cernit; faustum id acclamatione publicâ cunctis, sibi vero, ceu ex arcano peculiarius destinatum, toto gratiarum sinu excipit. Regale Sydus Tuum, siue illud auroram, siue Cynosuram Polonia malit; vt eo auspice fulgentior in Arenis STELLA MARIS prodeat MARIA, amabili quadam necessitate conuincit. Cynthiam verò augustam, vel ideo Augustissimis pedibus Virgineis, Pietas Tua submittit; vt sole miraculorum, amicta Virgo lucida semper in Arenis, pietatis Polonæ vestigia habeat. Trophæa porrò Crucis, palmæque triumphatæ Hæreseos decora, omnia ad nouum CARMELI decorem composita; pro gloria Virginis, pro Basilico admirandorum eius opere, pro KORYBVTHEA ad id felicitate, vincunt & triumphant. Diuinum & illud, in Angelico nomine Tuo ô Rex! quod miracula hæc, in quibus cœli, terræquè stupor ille continuus, QVIS VT DEVS? quotidie cernitur, vinctum eousq; Panegyrici

Cala-

Calami obſequium tenuerit; donec triumphale hoc claſsicum, triumphans in ſolio Regni MICHAEL intonaret. Stygis vtiquè fremitu, ſtridoreq; immenſo, quod tertiã cum ſtellarũ partem ex Hierarchia Sarmatica, tot malis publicis, traxiſſe videretur; omnia rurſ9 ſub Aurora Lunaquè KORYBVTHEA Principe MICHAELE vindice reparari, ruinaſquè impleri non ferens, Auernali inuidiâ crepat. Quam ergò non alio, quàm Tuo, vere aureo, quia PIASTEO ſæculo, Publicam, Carmeliquè noſtri felicitatem prodijſſe oportuit, eam Maieſtati Tuæ, vt rem omnino ad ſceptra KORYBVTHEA diuinitùs ſeruatam, iure ſuo, cultuquè noſtro, in acceptis ferimus. Admiſsionem illi, Vultuſquè Sereniſsimi dignationem petere, pietas Tua non permittit. Regina quippè in hoc opere venit, cuius Nomini omne id aſſurgit, quod infra DEVM eſt; Cui Tu prodigium Electionis Tuæ debes, dumquè Eam, ex Arenis venire audis, pugnaſſe in ijs

pro

pro Te, excubasseque, & pro Regno Tuo, ad vsque confossi Vultûs Sacratissimi vulnera, cõflixisse intellige. Obstupesces hic, sacrâ quadam formidine ad vultum eius, quod inter ornamenta sua, plagas etiam, sæuamque genarum lacerationem censeat; non ad delitias in Violeto Arenario, sed ad certamina, statione electâ; magno imperantibus exemplo, vt immoto contra pericula vultu, murus omnium ahæneus sint. Meruit profectò Diua hæc, vt decretos ex publico honores, Regumq; amores habeat; cum vulnera ostẽdit. Quæ si pro Heroina sua, non satis perorant, satis profectò pectora fauciant, ex quibus zelantissimum illud Maiestatis Tuæ non feret, eam in oculis, eam in delicijs non ferre, eam in Arenensi CARMELO Regia magnificentiâ non attollere; Quæ immanem, extremi interitûs sicam, à corde Patriæ auertens, suos cõuertit in vultus. Dabit hoc Augusta Maiestas Tua, hæreditariæ in Deiparam Virginem Ko-

RYBVTH

RYBVTHEÆ Pietati dabit: Polonis, vnicè dilecto MARIÆ Nomini; dabit ſupplici, Thronoquè Regio venerabundè affuſo Arenenſi CARMELO; qui cum Tibi Miracula Thaumaturgæ Virginis offert, Thaumaturgã à Corona Tua, dexteram Excelſi veneratus; in Orbis gloriæ theatrum, Arenamquè maximorum operum deſcendenti; feliciſſima Maieſtati Tuæ, ex Arenis omina auguratur.

Sereniſſimæ Maieſtatis Tuæ

Deuotiſsimi

CARMELI *Arenenſis*

Cultores ac Fratres.

AVGVSTISSIMÆ COELI, ET TERRÆ, MARIS, ET INFERNI, DOMINÆ.

Author NICOLAVS GRODZINIVS ex Voto DDD.

INtuere, & accipe Mater mei Creatoris, Authoris huius exiguæ Operæ illum, quo in Te ferebatur affectum. Lætissimam in cordibus Fidei Romano-catholicæ, triumphantem in Poloni totius Metropoli, liberalitatis Tuæ Pompam, posteritatis memoriæ, & gratitudini transmitto: vt qui Te legunt, intelligant; Tibi Unicæ literarum mearum Patronæ, eum Calamum deberi, quem toties fortè, an vt Tibi in laudem cederet? inter malignantis inuidiæ, & periculorum non semel subitam aleam, conseruasti. Et seruare Tuum quid est? quæ Seruatrix Orbis es, & Seruatoris Genitrix, cui in tot, quod extiterunt Indiuiduis, ratione præditis, debet suas salutes vniuersus Orbis. Dictauit quæ scribo loco Tibi dilecto fixus amor, & in candidam papyrum, inter nigricantes literas; candoris sui seruantem interualla, effusus candor, qui in testem erit posteritati, Tibi maximè Matri candoris, sine cera, & fuco, quâ scribimus, scribi. Habet enim suum & blandum venenum, Historica Orbis nostri aßentatio, dum interdum ij, qui scribunt argumentum, & stylum, in ea deflectunt, quæ in álienæ existimationis ruina, vni alicui quærunt simulatum Gloriæ nomen, & Numen. Ea verò quæ scribimus, ita nota sunt, vt Te solam, Te vnicam in Arenis suspiciat Coronatrix Regum Cracouià. Hic quærit naufraga miserorum fortuna sua præsidia, & quam requirit in periculis Matrem, suo auspitio & præsidio, lætior Orbis Polonus verè Matrem, verè Reginam, Misericordiæ vnicum Asylū inue-

inuenit. Jtur continuò in vota. Soluuntur gratissima Anathemata. Raros Aesculapios desideramus, imò & ipsius Aesculapij vacans Ara, Tibi debet Ciuium Regni salutem. Duo Miracula, Architectæ rerum magnarum Prouidentiæ Poloni Cracouiæ spectamus, Ecclesiam Filij supra Petram, iam inde à Miecislao per sexcentos septuaginta annos fundatam, & propagatam; Ecclesiam verò Matris, id est Tuam in Arenis, magnum & nostrũ & Orbis Arenæ Delitium; quauis petrâ solidiores & firmiores. Jn his struxit Templum Hermanus Uladislaus, vtinam faueat, & foueat easdem, nobis felicissimé imperans Vladislaus. Tu Regina facies. Quæ Imperaturo, Imperanti fauisti, victorijs auxisti; fœdifragos Moschos Triumphanti subiecisti, Orientis lunas pede Uladislai calcasti. Et à Filio impetrabis, Vladislao nostro Regum felicissimo, feliciter regnare, longum viuere, sed pium mori. Jta scripsi, & voui. Cracouiæ Kalendis Februarij. Anno 1635.



AD

INVICTISSIMVM MONARCHAM VLADISLAVM QVARTVM DOMINVM CLEMENTISSIMVM.

MAgnæ Parentis Opus, Te regnante Domine Clementissime scripsimus, & ferias, quas indulserunt Tuæ Curæ, Sospitatrici MARIÆ *sacrauimus. Fauebis Tu verè Regiæ Historiæ; Reginam enim posteritati donamus. Quam & Tu Romano-Catholico poplite, hyperdulico illo nostro cultu, adoras. Quid ni è Fonte bibas, quem cuncti petunt? Non tantum inter lauros, non tantum in serratis montibus, aut asperis collibus; sed & in Polonia, Czestochouiæ, & in multis alijs locis; imò in ipsa Vrbe, in qua natus, & Coronàtus es; inuenies in Arenis, petræ Christianæ fundamenta admiranda: inuenies inquam hîc, quos spiras & suspiras, Orbis Triumphos & metas, ac metus. Scopum Triumphantis animi. Libramenta, & momenta Martiális fortunæ spes, augustas victorias; & quam nemo non optat & quærit, bonam post longa vitæ exercitia mortem. Leges hîc, Te Imperante, Tantæ mirabilium Patratricis stupendam Metamorphosim, diebus Octobris Anno, quo Turcarum Imperium in campis Geticis, explicato exercitu terruisti. Iratanè Turcarũ Augi increscenti Mater? an culpis inclementior hominum? tenebras faciei, quas nunc reduxit. induxerat? an quod periodo, à Te non fulminatâ, inuictam subtraxisti manum? Debetur hæc de Turcis victoria polo Poloniarum. Et Te Regnante, quo, & nostra regnat gloria; Te viuente, quo & nostra viuit vita; Te ducente, quem sequimur vincentem, Triumphantemq́; vbiq́; viuemus, & hostes vincemus.*

AD

AD FRATRES BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DE MONTE CARMELO CRACOVIÆ IN ARENIS.

EN vobis vestram Dominam & Matrem. Accipite, & voto, & nouis incrementis læti. Vestro ducente, & lucente Decore Carmeli, crescite; vestra est. Quia è Montibus quos quondam in Palæstina vobiscum coluit: ad Arenas nostras Polonicas, id est Christianas, descendit. Saxea montium detestata forsan iuga, vt corda hominum emollescerent: vel vt in Castrorum, & Astrorum ordinata Acies, ob Templum in Arenis sibi structum, & sepulchrum Filij, & Dilectum Carmèlum, e manibus impijs excuteret. Vestra est. Vobis illa ne cogitantibus porrigit escam, vobis ancillari facit pios in suum obsequium affectus; vt nemo sit, qui ad vestræ Virginis, non dulciter illachrymet Nomen. Tot Cracouiæ spectamus templa, tot cernimus Miracula, nullibi fauentior suæ Vrbi Mater. Hîc sceptra Genitricis Orbis, hîc Thalami, hîc Imperia, hîc Oracula, hîc è Diuino pectore data, & enata responsa. Hîc claudus inuenit pedem, cæcus oculum, æger salutem. Jn Orbis totius funeribus viuitis, in fame triumphatis. Et quod maximùm: & hîc, & æternùm, quia propitiam Matrem habetis, viuitis, & viuetis. Ruet in gladios & ignes Orbis, vestra Virgo ad acies explicatas, & fulgorẽ ferri non pallescet. In Triumphos ibunt, gentium terrores, & quæ ferre onera non poterit Fortuna, ãte Aras Virginis deponet. Sed ego ad ipsã Matrẽ propero, & eius miraculis, manũ admoueo. Vos Auctori & vitam, & Diuinum velle, seriò apud Matrem DEI *apprecemini.*

AD
VRBEM CRACOVIENSEM.

NIhil otiosum in Te NVMEN reliquit. Ipsa Tellus Mater, à Craco Conditore, ita Vrbis situ disposita, vt à meridie continuum sal, Aurum, versùs septemtrionem producat argentum, ab Oriente verò, & Occidente, vberiorem & fertiliorem glebam Tibi sulcorum ductu erudiat; in continuum Copiæ cornu. Nec Arenæ in Te otiosæ, & à Magna miraculorum Matre, in Te, seu prope Te, delectæ & dilectæ. Spirat Virgo in Arenis amorem, in Tua, in Regnum, & Regni Incolas: vt nihil desideres in Virgine benigna, quod non habeas si petis. Et cum D. Stanislaus à meridie Rupellæ suæ, & arci Cracou: Tutator & Adstes Tuis votis insedetit; inde à septemtrionis periculis Florianus, ab Occidente Tua Fautrix, Arenas, & sacrum Magni Jagellonis Murum opposuerit, inimicis facta in opprobrium; suam vero Tibi propitiam obuertit Faciem, Oculos conuertens Misericordes, vt in ea, & Matrem dignoscas Cracouiæ, & Reginam. Nam hæc & Gentium ruinam, in Tuam vertit gloriã, & Magnos Magnis succedaneos, coronas Reges, continuos Regnatorũ numeres Triumphos, numeratura numeras. Additione nouarum partium Orbis lætior, subtractione periculorum tutior: multiplicatione Victoriarum securior; diuisione spoliorum ditior; vt totam hanc Arithmon harmoniam, vni debeas Deo & Virgini. Quæ dum pro Tua securitate excubat, tuas salutes, sibi deberi vult. Gratitudinem enim requirunt, beneficia; & si non præcludis benignis fatis aspirantibus aditum, continuam Virgini meditare gratitudinem. Quod vt facias, & æternùm Orbem Polonum corones, ex animo precor.

IMA-

IMAGINVM AC MIRACVLORVM MYSTYGIBVS HÆRETICIS.

Saniorem mentem Author precatur.

MEntemnè an & linguam? vtrumq́. Et quidem amicè precor. Hospitæ & Nouitiæ nostris in partibus, Fidei scrutatrico Maiestatis. Sed cui mentem, huic & vitamne opprimatur à gloriâ; Gloria nimirum DEI, *&* DEIPARÆ; *Quam coniunctam in Admiranda Relatione, disiunctim vna haud potest lædere mens, lingua, manus, quin eodem impetu, vtramq́, in vna lædat. Teipsum petis, qui hanc impetis, & quot das, tot recipis vulnera. Cum cælo pugna est. Sensum consensus vincit, & vnam linguam, & mentem Hæreticam, tot millia aurium conuincunt, & oculorum Imò & ante ipsius Supremi Iudicis misteria, & arcana; quomodo nosse, & cognosse potis es? quidquid Tuæ domi agatur, aut in Te non nosti? Non sunt somnia, quæ non dormientes, sed somno lethali oppressos, ad vitam, excitant! Si sapis hinc Fidem colliges, vbi quod speratur, & creditur, etiam á viuentibus possidetur, & habetur. Si ad Thomæ digitum appellares, erranti, ac fluctuanti consuleres menti, cuius interdum Fides, in leuiores nugas, & quisquilias prona ruit. Vitulos, aut homines bicipites natos creditis? ad Virginis Aras patratis Miraculis non creditis? Sed vsitatum pertinaciæ vitium, Soli non credere! claudo axiomate: Diuinorum noli esse arbiter, nam & præteritarum à Virgine consecutarum Gratiarum fructus te obruet, & futurarum. Hæc velim legas, & intelligas, ac valeas. Valebis si resipueris.*



LE-

LECTORI PIO,

AVCTOR EX VOTO SALVTEM, A VIRGINE, EIVSQVE FILIO.

EXoluo votum, Lector mi. multasque ob causas, easquè non leues, sacras Arenas, & in Arenis Virginem scribo. Potior illa, quia Benefactricem agnosco. Cedendum etiam fuerat Amicis, & veteri nexui, qui inter me & Rndum Gregorium Solecium; Sacræ Theol: Doctorem, loci illius Ordinarium, Prædicatorem, indulgendum. Carmelus hominem aluit, Ecclesiæ bono. Erudiuit Italia decori suo, & Patriæ. Coronauit Theologicâ Laureâ, Cracouiensis Academia, vt cæteros cœlo coronet. Iratus etiam sum iniuriæ temporum, & flammarum inuidiæ; quod multa, quæ ad nostram spectassent memoriam, memoriæ sequiori interceperint. Ad hæc monendus mihi es; me breuitatem in scribendo amasse. Stylus interdum planior, vbi antiquitates ipsæ poscebant, suo iure, & calculi ratio, quæ colores verborũ non amant: qua in re, & meis, & Tuis occupationibus volui consultum. Ordinis antiquitates; ac in Arenis fundati primitias præmisi, & Aream Templi, ac Fundatorem. Mox picturæ origines, & consecuta, à liberali Matre miracula. Habes igitur & causas, & argumentum Styli. Nunc ipsam rem accipe.



APPROBATIO

DOCTORVM ORDINIS.

NOs infra scripti, ad Instantiam Perillustris, & Admodum Reuerendi Domini, Authoris libri, sub titulo: Diua Virgo Cracouiensis Carmelitana in Arenis, seu Violeto; *specialeq; mandatum Admodũ Reuerendi P. Bartholomæi Golankowicz S. T. D. nostri Prouincialis dignissimi, bona*

fide

DE PRIMO BASILICÆ ARENENSIS,

CONDITORE, CONDITÆ OCCASIONE;

Locus Długosſij breui illuſtratus commentario, addita ſub finem memorabili quæ in eadem BASILICA contigit Hiſtoria.

De huius BASILICÆ *Originibus, ita Dlugoſſius:*

I.



Rdo & Religio Fratrum Carmelitarum Mendicantium, qui à Diuo HELIA Prophæta, in monte Carmeli, in Iudæorum Regione habitante, fertur cæpiſſe exordium: à quo & Fratres Ordinem præfatum profeſsi, Carmelitarum ſe vulgò nomine appellant. Vladiſlaus II. Poloniæ Rex, & Heduigis Regina Conſors ſua, Glorioſam DEI Genitricem Virginem MARIAM, Matrem Redemptoris, & Feſtum Viſitationis, quo viſitauit Eliſabeth, quod tunc recentèr (Schiſmate in Eccleſia DEI, annis quadraginta, peccatis hominum exigentibus

tibus, vigente, & quod Concilium Constantiense extinxit,) Vrbanus Papa VI. in sua creatione nominatus, primus instituit, & celebriter coli à populo mandauit, singulari deuotione, & cultu honoratiori; Templum Virgini Benedictæ præfatæ, & Monasterium extra Vrbem Cracouiam, in parte occidentali, iuxta Cerdones, quod hactenus vocatur ad Arenam, constituunt, muroquè insigni Templum, quod morte Heduigis Reginæ, semiperfectum remansit, fabricant; & in titulum, Visitationis BEATÆ MARIÆ Virginis, dedicant; ad nouumque monaste, rium, quod & hactenus id cognomen obtinet, nouum Ordinem, nouamq; Religionem præfatam Carmelitarum, nunquam anteà in Polonia visam, aut scitam, pro honore Nominis Diuini, & amplitudine Religionis Christianæ, Regniquè Poloniæ conseruatione, & bono statu, anno Domini 1397. introducunt. Cui aliquot hortos contiguos, & vicinos, pro ampliori Fratrum subsistentia & suffragio, conferunt, & donant in proprietatem. Fuit autem Ecclesia Monasterij præfati, gloriosè in fundamentis incæpta; in Choro quidẽ & Sacristia, in toto cõ-

pleta

pleta & absoluta; in Corpore verò fundamenta, & initia habens nobilia, curâ Fratrum Monasterij præfati, largitione & Eleemosynis fideliũ consummata. Ita ille in sacrarum Fundationum, ac beneficiorum Cathedralis Ecclesiæ Cracouiensis, libro.

II. Lego apud Długossium, Fratres Carmelitas Mendicantes, & quod ab HELIA, in Monte Carmeli cæperint exordium; indeq; nomen, à Monte Religioni tractum: lego inquam, & omnia conformia; illud difforme, quod eosdem loco citato, sub Regula S. Augustini dicat viuere. Res liquida; ante Augustinum iam proprio vixisse succo, & instituto Patriarcharum suorum, auctoritate è Basilij *Epist: 63. & 146.* & Ioannis Ierosolymitani Patriarchæ 44. *libro de Instit: Monach* (qui Augustini coæui fuerunt,) Religiosis lucubrationibus conscripto & confecto, clarè habetur. Quod deinde ab Alberto Hierosolymitano Patriarcha, (qui anno 1213. inclytus sanctitate & miraculis, inter manus suorum pientissimè obijt, & cuius festum celebrandum censuit Ecclesia, *Octaua die Mensis Aprilis*) in breuiorem formam reductum, Fratribus

tribus ſuis Carmelitis Accone, vbi tunc Sedes Patriarchalis, Hieroſolymam tranſlata fuerat, tradidit obſeruandum. Quam deinde Religiosè viuendi Regulam, Honorius III. approbauit, & deinde Gregorius IX. Anno Pontificatûs ſecundo, ſcilicet 1227. Innocentius IV. Bulla quæ incipit: *Quæ honorem Conditoris* &c. Anno 1244. Alexander IV. 1255. Nicolaus IV. anno 1258. Vrbanus IV. anno 1361. Bonifacius VIII. anno Pontificatûs Secundo, Bulla incipiente: *Juſtis petentium deſiderijs* Anno 1294. eandem Regulam, authoritate Apoſtolica confirmârunt. Dubitanti autem Honorio III. an confirmationi Regulæ Carmelitanæ, & iuſtæ ac congruæ petitioni annueret, Virgo DEIpara adſiſtens per viſum, vt, quod à Filijs ſuis Carmelitis poſtulabatur, concederet, admonuit. Præbuit ſe obſequentem, raptis per ſubitaneam mortem, qui contradixerant. Ita Paleonidorus *libro 3. cap: 1.* Bzouius ad annum 1217. in Annalibus, & Seraphinus in ſuo Bullario, ſub Honorio III.

III. Occaſionem erroris huius, videtur traxiſſe Długoſſius, è Bulla Alexandri IV. edita nno 1256 incipiente: *Licet Eccleſiæ Catholicæ* &c.

quâ

fide & Religiosâ testamur nos acuratissimè legisse, & relegiss ea omnia, quæ in hoc libro continentur, spectantq; siue ad Religionis nostræ Origines, siue ad Templi, Monásterijq; erectionem, & fundationem: siuè ad Imaginem, Picturam, & ad publicam venerationem, expositionem; siue (qui præcipuus est Authoris Scopus) ad Miracula, quæ partim, è libello approbato Rndi. Patris Hiacinthi Duracz extracta esse; partim è votiuis Anathematicis tabellis, testimonijsq; clarissimis, Christianis depositis ab Anno scilicet 1610. vsq; ad Annū 1634. inclusiuè, plenâ fide, conscripta esse recognoscimus. In quorum meliorem fidem, nos manu propriâ subscribimus.

Ego Frater GREGORIVS SOLECIVS S. T. D. ac Ordinarius pro tunc dicti Conuentûs Prædicator, manu propriâ.

Idem recognoscens; Ego Frater ALEXANDER KOSLINSKI S. T. D. manu propriâ me subscribo.

Frater NICOLAVS DAMBROWSKI S. T. D. & Regens studij in Conuentu Cracouiensi, manu propriâ.



F A C V L T A S

ADm. R. P. PROVINCIALIS CARMELITARVM

PER POLONIAM.

FRater Martinus Charzewicz, Sacræ Theologiæ Doctor, Prouincialis Ordinis Beatæ Virginis MARIÆ, *de Monte Carmelo, Regularis Obseruantiæ, per Poloniam, & Magnum Ducatum Lithuaniæ. Ex Commissione Reuerendissimi, Patris Nostri, Magistri Matthæi Orlandi, Generalis eiusdem Ordinis Carmelitarum. Harum tenore facultatem damus, Admodum R. P. M. Serapioni Kuyper Priori Cracouien: in Arenis Vicarioq; Prouinciæ, & suæ Religiosorum Communitati, quatenus Scriptū,*

sub

sub Titulo: Diua Virgo Cracouienſis Carmelitana in Arenis, ſeu Violeto, olim á Perilluſtri, & Admodum R. D. Nicolao Grodzinski S. R. M. Secretario ex Voto Scripta, *Iudicio Cenſoris Ordinarij Librorum Cracouiæ, & Ordinis Noſtri Doctorũ examinatum, & approbatum, Typis poſſit mandari. In cuius rei fidem, haſce manu noſtrâ ſubſcriptas, ſigilloq́; Officij munitas dedimus, Cracouiæ die 20. Iulij A. D. 1669.*

Frater MARTINVS CHARZEWICZ, S. T. D. Prouincialis Carmelitarum manu propriâ.



APPROBATIO CENSORIS

VIdi hoc ſcriptum, cui titulus, Diua Virgo Cracouienſis Carmelitana: *in quo & Carmelitanæ Familiæ Origo, introductioq; in Poloniã, præclaræ explicatur & , Gratiæ ad Imaginẽ SS. Virginis* MARIÆ *in Arenis, eiuſdẽ Ordinis à SS. Deiparæ collatæ, ac miracula recenſentur; cumq́; nihil fidei Catholicæ, & Decretis Apoſtolicis, aut bonis moribus contrarium, contineat, vt in lucem edatur, facultatem conceſſi. Anno Domini 1668. die 4. Februarij.*

HYACINTHVS LIBERIVS I. V. D. Præpoſitus SS. Corporis Chriſti, Canon: Regul: Librorum in Diœceſi Cracouienſi Cenſor.



DE

quâ varias Eremitarum ſpecies, diuerſâ profeſſione diſparibus titulis, & diſsimili habitu extantes, conabatur ad vnionem reducere, cui negotio Cardinalem S. Angeli præfecit; qui omnes Eremitarum congregationes, in vnam Eremitarum S. Auguſtini profeſsionem, & Regularem obſeruantiam vniuit. Vnionem hanc Pontifex approbauit, habitumque vniformem, & cuculas nigri coloris, ab eis deferri iuſsit. Quâ bulla, non ſunt Eremitæ Carmelitæ comprehenſi, vti forſan exiſtimauit Dľugoſsius, habent enim illi, habueruntq; & ante, & poſt hanc Alexandri Bullam, immò & ab hoc ipſo Alexandro, vti ſupra vidiſti, ſuæ Regulæ peculiaris & inſtituti, habituſque, quem & nunc geſtant, approbationem & confirmationem.

IV. Conditum verò monaſterium, docet Dľugoſsius, à Vladiſlao II. & primitùs Carmelitas ab eo euocatos in Poloniam (puta ex Bòëmia) nunquam antè hîc in Polonia viſos. Erat Vladiſlàus II. Iagello ille, è cuius ſanguine, per Catherinam Reginam Sueciæ deriuato, deſcendit Vladiſlaus IV. quem nondum biennio integro exacto, & ſeptemtrionis Moſchouiticos-

uiticos motus, & orientis, vidimus & audiuimus, felicissimis, & inuictis armis componentē. Magna hic Iagello eiusque Propago. confecerê in Regno negotia, & orbem totum nominis sui terrore impleuêre. Illis potissimum aureæ Libertatis, quâ Regnum nostrum gaudet, debemus auspicia, Illis pietatis & gloriæ, maiorum conseruandæ, indefessum decus, Prussias subactas, vnitum Lithuaniæ magnum, & inclytum Ducatum, & deletum ac extinctum, non sine vindicijs cruentis Cruciferorū nomen quorum interitum prædixerat confundatrix huius monasterij Arenensis Heduigis, cuius potissimum ductu, & impulsu, Maritus Rex Iagello, id monasterium iuxta Długossium fuerat auspicatus. Et donec ipsa quidem viuebat, à tam præclaro cæpto non destiterat. Quamuis antiquiorum monasterij fundati Aram constituit *Miechouien: lib: 4. cap: 49.* nimirum anno 1395. Traditone autem vetustissima, quam in tabella eiusdem templi Arenarij propositam, videre est legentibus, *annus ædificationis legitur fuisse 390.* Quapropter, cum inter Długossium, & Miechouitam, duorum annorum; Inter verò traditionem

& Dłu-

& Długosiũ, septem annorũ differentia inueniatur, necesse est, vt traditioni, quam, præmissa diligenti inquisitione, Patres huius monasterij seniores, habent indubitatã & certissimam, vt potè ex vetustissimis Annalium monumentis, posteris consignatæ, inhæreamus nec ipse sibi in temporibus cohæret Długosius. nam de fundatione istius templi ac monasterij agens, postquam ædificatum esset monasterium, in vitis Episcoporum Cracouiensium, qui liber extat in archiuio Capituli Cracouien: scribit his verbis: *Anno* 1410. Vladislaus Rex Cruciferos Fratres, de Prussia magna cæde perdomuit. Monasterium S. MARIÆ in Arena, per Heduigem Poloniæ Reginam fundatur, & introducuntur ad illud Fratres mendicantes Ordinis Eremitarum de monte Carmeli. In priuilegio verò Iagellonis, quod datum est FF. Carmelitis, è Ciuitate Zarnowiec, & quod idem auctor in libro Beneficiorum, de verbo ad verbum expressit, *annus habetur* 1413. vnde apparet in supputatione calculi, huius monasterij & templi, minus fuisse diligentiorem. Quare constantiorem sequi Traditionem, ex antiquissimis petitã fontibus, mens

eſt, de huius Templi primis conditoribus, eiuſq; Originibus, quas in annũ 1087. referrimus. Qui ducalis Imperij ſextus; ducalis dixi, nam Coronã Fratris Boleſlai ſcelere, Regnũ, annus fuit propter Necem S. Staniſlai Epiſcopi Cracouien: amiſerat; Vrbani verò ſecundi, annus hic idẽ ſecundus, Lamberti Epiſcopi Cracouien: S. Staniſlai ſucceſſoris annus quintus. vnde diuinæ prouidentiæ mirum eluceſcit argumentũ qui huius templi voluit ſub Vrbano, II illo belli ſacri incentore & Horarum Virginis Glorioſæ á Carmelitis inuentarum, approbatore in Arenis locare. Et ſub Vrbano deinceps ſexto, Viſitationis ſuæ Matris, Feſti primo inſtitutore, annis intercurrentibus trecentis & decẽ, in cæleſti conſiſtorio negotium perfici. Interim introductionem Carmeliticam, Virgine & Filio agitantibus. Conſimile eſt & illud, quod à Vladiſlao prima poni Arenenſis Eccleſiæ, voluit fundamenta, & fruſtra tentantibus alijs operis complementum. à Vladiſlao tandem perfici Rege, quam non Rex inceperat molem. Frater enim viri ſanguinum erat Hermanus & placuit DEO, non niſi decedente Piaſti ſangui-

ne hæreditario, qui in Pastorem manus crudeles iniecerat, à recenter expiato vndis sacris Rege, magnum opus Virginis, & matris suæ ad effectum deduci; qui per tot gratias & miracula secuturus erat honorem. Res autem & origo ipsa sic habet: Inuaserat Vladislaum Contractum vulgò dictum Poloniæ Ducē, qui fugiente ad pænitendum Boleslao Fratre, Regnum administrandum susceperat, acris, & medicis incognitus morbns, Scorbutum antiquiores referunt Historiæ, & incurabile nares opprimens malū, vermes inquam & coniunctus vermibus fætor, iamquè & cum psalte Regio dicere poterat: Et factus sum mihi metipsi grauis. Dum inter mentis dubia, quo se verteret (humana enim defecerunt) ad Diuina, anxium vertit Virgo, & dormienti se videndum præbet, & solatio est, ac medellæ salutari, sanum fore promittens, si extra vrbem procedens, ad violetū pergat proximū, (erat genus illud syluestrium proprio, ac genuino colore violarum) quarum quo loco persenserit odorem acriorem, terram ferro aperiat, & Arenâ sub violis repertâ, nares affectas conspergat; cuius in beneficij accepti memoriā tem-

plũ sibi, suoque honori, eo in loco quo sanitatẽ consecuturus erat, iussit ædificari. Nec pluribus virgo monuit, & disparuit. Vladislaus autem ipsa rei visæ nouitate percitus, cogitare cæpit; Serionè eundum in Somnij salutaris monita, an res premenda. Nam rerum plerumque, quarum ardemus cupiditate, dum extra somnũ sumus etiam nobis dormientibus obseruantur imagines. Rem igitur ad spirituum gnaros homines defert, & sacrorum, ac conscientiæ præsidibus aperit Deiparæ consilium. Res non videbatur rationi difformis, & non temnenda Virginis Oracula censuere; It & multo incinctus, ipsiusque Lamberti Episcopi Cracouiensis ac Cleri Comitatu, ad locum, quem ducebat somnium, ipse præuius sequentes ducit, Res mira! vbi in spatiũ Basilicæ, & Sacelli Parthenici quod nunc describimus peruenêre; Violeti Vladislaus tactus odore, & iam non dubius, signo violarum sub aspectum dato, & nares futuræ salutis, oratione præmissa terram aperi iubet; Tunc primùm aspexit sol vna cum ægro Principe, cælo dicatas candidas Arenas, quarum contactu Rex dum stupet, & credit sanatur. Et loco quo

receperat beneficiũ primum in memoriam locat, & figit, iacitque præſente Epiſcopo primũ lapidem. Deinceps Baſilicæ chorũ, vnâ cum ſacriſtia ſubductis fundamentis pro maiori choro ædificauit. Titulus Virgineæ Aedi ad niues dat⁹ Liberiani templi Romani occaſione, quod trecentis & triginta quinque annis, hoc miraculum Vladiſlauianum anteceſſerat; ſed non huic titulo, & tempori ſeruabat ſuam ædem virgo. Eratque in Fatis, alio ſub Vladislao quondam & Vrbano dies, in qua etiã in his ſepoſitis á Carmelo ſeptemtrionis oris, daretur Virgini decor Carmeli; Iamque forſan & has Arenas præ niuibus, quia delegerat amauerat, & hoc titulo, quo in Arenis inter violas ſedem delegerat, voluit inuiolata Mater & Virgo ornari. Annis deinde ab hinc 53. id eſt anno gratiæ 1140. Petrus Comes de Skrzynno Vratislauienſis Capitaneus 53. templorum in Polonia ac Sileſia conſtructor (rem notam ex Hiſtoricis ſcribimus) quæ vt plurimum lapide dolato & ſecto fabricauit ſub Vladislao Duce, qui Boleslao Kryuouſtio ſucceſſerat, (ita Vladislaorum nomine fatalis cohærebat, cum Diua Arenenſi ſympathia) opus

imperfectum á Vladislao Hermano morte præuēto aggressus ipso quoque Fatis succumbens Vladislai Iagellonis temporibus perficiendum reliquit. sed & hîc mirum auspicium Candoris vbique hanc Ædem Diuæ, & Diuam (cuius amor candor est) comitantis. Niues enim, & cādidas Arenas excepit Cygnus, Cygnus inquā & candidus; quem pro stemmate Petrus (quod nobis qui hæc scribimus cum illo commune) gerebat. vtrumque placuit Virgini, & olor & color; vox inquam olorina. Namque suauior, quàm quæ laudes eius in hac Æde decantāt? Et color niuium æmulus Cygneus, quo Fratres candicant Pharthenici. Sed & ipse Cygneus Petrus, sui erat dum hæc condebat funeris cantator. Nam chori magni, illi tantū concessū struxisse ambitum, ac laterū, & murorū sacrorum vincula, quibus Virginis vultus adhæsit: deuenerat tandem in Vladislai II. manus, Polonus orbis, qui præiactis fundamentis, & præstricto magna ex parte operi inductu, vti supra monui. mus coniugis Heduigis; Monasterium pro Carmelitis agressus est ædificare. Atque hanc ædificationē, anno vti Traditione constat 1390. Vladislaus

dislaus Rex est auspicatus. Tandemque Bonifacij Papæ IX. Anno VIII. sui Imperij XI. Venceslai Regis Romanorum XXI. à Coronatione Heduigis XII. Petri Visz de armis Aceruorum Pontificum Cracouien: anno V. Id est Christiano 1397. vti concordi calculo, & Traditione constat, & Długosij. Duobus annis ante obitum Heduigis Fundatricis Arenensis, quæ inchoato opere, & adhuc imperfecto relicto, anno 1399. Iulij 2. Cælestis Regni est particeps facta. Cracouiam FF. B. M. V. de Monte Carmelo sunt introducti. Porrò D. Virgo gratissimum id sibi fuisse Heduigis opus, Cracouiamque FF. suorum aduentum, & introductionem, tot consecutis miraculis, vberrimo & indeficienti gratiarum fonte manantibus; est contestata. Ipsius verò traditionis verba, cuius suprà toties meminimus tibi legenda, integrè prout sunt in Tabella descripta, proponemus quæ sic habent:

Vladislaus II. Regni Poloniæ Monarcha, Hermanus dictus, anno 1087. infirmitate, quâ laborauerat liberatus, vt in alia tabella descriptũ est, sub titulo B. M. V. ad niues id templum in-

cipiens ædificare, chorum minorem, & sacristiam construxit, & pro maiori choro fundamenta subduxit. Post hæc à Petro Dunino, Comite Skrzynnen: Capitaneo Vratislauiensi, mors propera vix chorum maiorem erigi permisit. Donec anno Domini 1390. S. memoriæ Vladislaus Iagello Rex Poloniæ opus imperfectum compleuit, & apud Vrbanum Papam huius nominis VI. effecit, vt templum sub auspicijs B, M. V. Visitationis consecraretur, &, vt id Festum cum Indulgentijs per Octauas, in hac Ecclesia perpetuò celebraretur. Qui etiam Pontifex, primus fuit huius festi, vt, summa cum deuotione à fidelibus coleretur, institutor. Anno deinde, 1397. supra scriptus Iagello Ordinem P. P. Carmelitarum in Regno hoc nunquam antea visum, aut auditum, ad augendam diuinam, & Ecclesiæ Gloriam, Pragâ in Poloniam induxit, & ipsis recenter inductis, sub nouo Titulo Festi noui, Templum regendum tradidit. Sed post hæc mortuo D. memoriæ Stephano Rege Poloniæ, hoc templum vna cum Monasterio sub Interregno conflagrauit. anno 1587. & Prouidentia Diuinâ, sumptibusq; emendicatis, & Eleemosynis

mosynis piorum, est restauratum, sub titulo vero Visitationis Elisabetham Virginis fuisse Tēplum consecratum, Dlugossius, Miechouita, & Tabella testimonio est. Quod festum fuit ab Vrbano VI. anno Pontificaus eius XII. & vltimo exactis octo annis, ante consecrationem Tēpli, institutum, eo fine (vt illustrat Bzouius ad annum 1389. quo institutio Festi contigit) vt, quemadmodum D. Deipara, DEo grauida Elisabetham visitauerat, ita à precibus eiusdem S. DEI Genitricis, quas ea festiuitate omnes deposcerent, DEVS Ecclesiā suam aspiceret, & ex alto visitaret. Quod studium Vrbani VI. qui ei successit Bonifacius IX. Apostolico feruore complexus, anno sui Pontificatus I. qui fuit Vladislai Iagellonis Imperij IV. nobilissima Bulla eius festi gratiâ, Ecclesiæ promulgata, incipiente: *Superni benignitas conditoris* anno 1390. quam sub eodem anno videre licebit apud Bzouium, integre Typis mandatam. complectitur illa laudes virgineas elegāter, & Apostolico spirîtu depictas. Quā solemnitatem conatus est, Schismatis tempore Adalbertus quidā oppugnare, contra quē eruditū tractatū Ioannes Pragensis edidit, nonnul-

lis miraculis, ac reuelationib9, quib9 DEVS hanc festiuitatem comprobauit, collectis. Teste Baronio in Martyrologio ad diem, Iulij 2. Quam etiam Pontificum mentem piam, & sibi ac Filio placentem, miraculis tot in hoc templo sub titulo Visitationis constructo, comprobauit, & illustrauit. Nec desinit in dies facere illustriorem, forsan & ideò, quod ex calculo colligere licet, sit in orbe sub hoc titulo primum. Quā deinde Erectionem, vna cum titulo Bonifacius IX. anno Pontificatus sui XII. qui incidit in annum Domini 1402 Bullâ peculiari incipiente: *Sedis Apostolicæ prouidentia &c.* (cuius originale extat in Archiuio Conuentus Carmelitici Arenensis) approbauit, & confirmauit, è qua Bulla etiam constat & illud, quod pijs fidelium in hoc interuenientibus muneribus, atque suffragijs, domū cum Ecclesia (quæ iam magna ex parte, vti supra dictum est, per Vladislaum Hermanum, & Petrum Duninum constructa fuerat) Campanili, Campana. Cemeterio, & alijs necessarijs officinis de nouo fundarunt, & construi fecerūnt. viginti duobus annis post huius Templi fundationem qui fuit 1419. missus fuerat Thomas Valdensis

densis Ordinis Carmelitarum, Martini V. Pontificatus anno III. Anno Regni Vladislai 33. ab Henrico V. Anglorum Rege (qui in sinu eius animam Christianam post obitam legationem efflauerat) ad Vladislaum Poloniæ Regem, & Michaelem in Prussia Magistrum Equitum Ordinis Theutonici Generalem, pro componenda inter eos pace, quâ legatione dum fungeretur Viennam transijt. Et toto itinere, ac in Regno Poloniæ, multa Apostolici viri officia præstitit. Magna admiratione populorum vbiq; exceptus, & præsertim à suo Ordine, Cracouiæ in Arenis, quos suauissima sua conuersatione, & moribus, ac doctrinâ recreauit. Meminit huius legationis Ioannes Pitseus Anglus ætat 15. illustrium. Scriptorum Angliæ. Qui deinceps Conuentus Cracouiensis in Arena, viros habuit plures sanctitate, & doctrinâ illustres, ac ex eo per totum Regnum propagatæ sunt multæ Eliani instituti, Coloniæ.





CVR IN ARENIS,

ET VIOLETO FÆCVNDA GRATIARVM MATER,

SIBI SEDEM, ET ÆDEM

DELEGERIT?

SCripſerat. ante annos 122. Ioannes ille Magnus Trithemius, Diuam Carmelitanam Helbrunenſem in Vrticeto, & alteram Dithelbachianam in vineis dictam ſeu in Arena. Scribo & ego Diuam meam Cracouienſem in Arenis, ſeu violeto. Admiratur Magni Alberti calamus cauſas: Cur Diua Helbrunenſis in Vrticis delegerit ſedem, cauſamque ex Ordine petit, qui Virgini conſtanter ſemper adhæſit; cuius & nomen, ſuo Titulo, Religionis ac nominis, vnâ cum ſtellis duodecem ſtemmati, voluit; quia eam coluit, illigari. Admiratur inquam & merito, quid enim Virgini Cælos inhabitanti cum Vrticis? Audi. Nam & tu mirari deſines. Ita enim Trithemius *lib: 2. cap: 8.* de miraculis B. V. M. in vrticis Helbrunen: factis. De nominis autem loci ratione, cur ſit in Vrticis

dictus

dictus, vel vrticetum, à Cælesti mysterio non credimus alienum. Vrtica enim vt medici scribunt, herba est cunctis notissima, in primo gradu calida, & circa principiũ gradus primi sicca, in medendis humanis corporibus, magnam habet efficaciã, & miram in folijs atque semini bus virtutem. Nam vt Dioscorides Græcus est author; Vrtica ex vino potata, morbum sanat Regium, semen curat, Cholicam, Antidotis mixtũ; tussim diuturnam cum melle tritum, & datum, potui releuat, ventos, torsiones, & tumores, valenter emendat; frigus in pulmone conceptũ sedat, & omnes humores suo calore siccat. Multis est Vrtica, & alijs decorata virtutibus, quas hîc prætereo causâ breuitatis. Vnde locus Vrticarum Carmelitis Diuinâ prouidentiâ, indubitanter oblatus esse creditur; quorũ initio progressui, & moribus. Vrticæ virtus, mysticè comparatur. Enim verò sicut Vrtica, primo gradu sicca est, & calida, ita Religio FF. Carmelitarũ sub exercitio Diuini Amoris, ab Helia Prophæ, ta, summo DEI zelatore, ante omnes alios Claustrales Eremitas, vel monachos dignoscitur. Vrtica in primo gradu est calida, & Carmelitarum

E2 Reli-

Religio; singulari feruore Charitatis, Deo semper viuit deuota. Vrticæ calor magnã vim habet in medendis languorib., & Carmelitarũ Religio sancta, multis, ab origine sui, corruscauit virtutibus. Et sicut semen Vrticæ, remedium frigidis præstat corporibus: ita & Fratres Carmelitici Ordinis, veram medicinam doctrinâ, & prædicatione suâ, tepidis conferũt animabus. Calor Vrticæ seminis temperamento medico, calefacit frigida; & Carmelitarum sancta institutio, multorum corda tepentium, verbo simul & bonæ conuersationis exemplo, in Dei fecit amore feruentia. virtus Vrticæ, humanæ carnis desiccat humida: & Fratres huius sacri Ordinis, vitia mentis domant in se, & consumunt sermonibus continuis, etiam in alijs vniuersa. Vrtica manus tangentis semen eius, aut herbam, vredine quadam adurens, repercutit; sic & Ordo Fratrum Carmelitarum hactenus sine scandalo Hæresum, suos imitatores in Dei amore ferueſcentes, & ardentes facere consueuit. Quot Vrtica virtutes habet, pro curanda mala habitudine, tot ordo Carmelitarum, & multò plures gratiarũ donationes, ad sananda vulnera mẽtis.

Di-

Dignum ergo fuit, eos, inter Vrticas, prouidente DEO mansionem suscipere; quorum SS. Patres, Helias & Elisæus, & Filij Prophætarum, Principes Ordinis, Monachis & Eremitis; viuendi normam constituẽtes, primi nos docuerunt curas, & solicitudinis vanæ, occupationes contemnere; soli DEO, in vera mentis vacare deuotione; & sicut Vrticæ, in eius amore semper ardere.

Videsnè, quid Deiparæ cum vrticis? quæ homines contemnũt, amat Mater; Quæ demissionis virtute, in sublimes Mater DEI, rapta est titulos. Nam cum se Ancillam cogitat, oculos deuocans Altissimi, Matrem se sentit esse, & stupet. Sed, quæ mirandam se præbet in Vrticis, eadẽ admirabilem & in vineis; vineæ amor Virginis. Nota enim sunt verba, quibus Sponsum cæleste, per os Salomonis in canticis cap: VII. euocat ad vineas: *Mane inquiens surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea.* Amor Parthenicus & Lauri, inter quas, tanquam victrix orbis, & Triumphatrix, procul à Fulmine, quo tota Palæstina icta est; voluit Nazarethanam suam Ædem, collocari. Sed quid in aliena figimus obtutus? ad nostras

Arenas, & violas, quas sibi inuiolata delegit Mater, inflectere Calame. Et tuos, tibique connatos, quia in eadem Patria natos titulos, mirare; & si potis es, discute. Arenas primum, deinde & violas. Arenas inquam, è quibus, vberem gratiarum fontem videbis, qui hæc leges emanasse. Et primum, res mihi erit tecum, de Honore Matris Christe. Nec extra materiem. Et ego enim puluis de Arenis, loquar ad Domi-Dominum meum: *Decreuisti, Math: 7. Tuo Diuino oraculo: Stultum esse, qui ædificauerit domũ suam super Arenã?* Insipiensnè igitur, ac stultus & ille, qui Tuam, & Matris, ædificauit in Arenis admirandã Ædem? Stant Æterni Verbi, nequè mutant suo pondere verba. Cruentatâ Petrâ, & Rupella, S. Stanislai sanguine, extra muros, Præsulis tunc infames nece, in Arenas à Virgine, descenditur. Ipsa sibi locum quærit, & eligit Virgo. Et quẽ in somnijs Vladislao præmonstrauerat, in somni demonstrat. Descenditur igitur, nequè absquè mysterio ad Arenas, & non iam sibi, sed DEO, DeiqueMatri, iussu ipsius Matris, ædificat Hermanus Basilicam in Arenis; & quæ instabilis fuerat, facta est Christi illigata calce, Virginisquè cal-

calcaneo, ſtabilior Arena. Diſplicuerat DEO abominatio Iſraelis. Quod ad irritandum eum, applicarent manum ad nares ſuas, *Ezech: Cap: 8* Ecce prodit, Sarmatiæ moderator Vladiſlaus, & non iam ad irritandum, ſed ad glorificandum DEVM, & Virginē applicat manum, & nares ſuas, vnâ cum Arenis, & quam amiſerat in Vaueli Petra, inuenit in Arenis ſalutem. *Accedet homo ad Cor altum, inquit Propheta Regius, & exaltabitur Deus.* Altum mare dicitur, quia & profundum. Acceſſit Vladiſlaus ad cor altum, dum in Arenis Virgineis, Regium flexit genu: Et exaltatus DEVS, DEVS inquam, & Diuina Mater, ac Genitrix, quæ & cor DEI eſt, quia inter omnes Adæ Filias, emeruit, non habuiſſe, nec habere, vni & ſoli, ſecunda DEO, ſecundam. Cor igitur DEI Virgo, cor altum, Cor profundum, quia ipſe ſuper Maria fundauit eam. Cor latum & dilatatū. Cor perſimile Cordi Salomonis, de quo in ſacra Regia Hiſtoria lego: *Dedit Deus Salomoni latitudinem cordis quaſi Arenam, quæ eſt in littore maris.* Sed qui dedit Salomoni Cordis latitudinem, quaſi arenam maris, is quoque Arenas, Corde conſignauit Virgineo; vt quibus non erat ſpecies, neque de-

cor, eis daretur CARMELI DECOR. Cor igitur iam MARIÆ, Arenæ; quia & Cor Carmelus & quæ antea in corde maris, deligebant cubile; in Cor MARIÆ transiêre. An non de nostris Arenis, dicere nunc posses, Ieremiæ illud: *Dando leges in mente eorum, & in corde superscribam eas.* Lego apud Vincentium Belluacen: in suo naturali speculo: morem fuisse in consecrandis Ecclesijs, in cineribus Alphabetum scribendi; Ast hic non in Cinere sed in Arenis, in Corde Virginis, scilicet, scripsit DEVS leges suas, & Gratiam in Arenis Virginis, immò ipsum Cor suum, id est Virginem, muris Arenensibus, seu Arenis impressit. In cuius vultu leges, qui quæris & requiris Diuinas Leges. Et non iam Alphabeto, sed ipsius Matris, & Pueri, quem gestat; oculis, nutu, & signis, ipsoque eius silentio, Leges inquam DEI doceberis. Quærant alij in Arenis gemmas, & blandimentum illud, cupidioris naturæ, aurũ; & metalla. Habeant Ilcusienses Arenæ sibi suũ argentũ, de his ergo Arenis, suspicor dictũ illud, (*Deuter*: 33.) *Ibi immolabunt victimas Iustitiæ, qui inundationem maris, quasi lac sugant, & thesauros absconditos Arenarum.* Ecce qui in thesauris ponit abyssos; abscondi-

sconditos in hac Arena Thesauros reuelauit nobis. Immolantur DEO Victimæ iustitiæ, suus Virgini, qui debetur, redditur honor. Acceptis gratijs, gratitudo. Quasi inundationem Maris, Lac MARIÆ sugimus.. Et hîc, & lactamur ab vbere, & pascimur à vulnere. Sugimus Thesauros absconditos Arenarum, gratias Cordis Virginei innumeras, instar Arenarum maris. Thesaurus est, quem sugis in Arenis, sanitas quouis thesauro pretiosior. Lac consolatio. Sed & vobis, quam mire congruit, hæc Zabulonis benedictio, in cuius hæreditate Christus, & concipi voluit in Nazareth, ac monte Thabor, (quæ vtraque loca in Tribu Zabulon sunt) vestro coram Duce Helia, transfigurari. Vos inquam immolatis trinas victimas (vota intelligo) iustitiæ; ante vestræ Virginis, Arenenses Aras. Quasi inundationem maris, in loco pascuæ nihil habētes, & omnia possidentes collocati, Lac confluentium ad Virginem, miro & nouo genere subsidij sugitis: & vti supra dixi; In fame Orbis Triumphatis. Mamilla Regum, qui vos fundavêre, & addictorum Virgini Procerum sanguis, pascit vos: Lac sugitis, & Virginis, & Thesau-

ros abſconditos Arenarum. Libeat hîc accinere cum Pſalte Regio: *Terra mota eſt.* à Vladiſlao Arenæ motæ ſunt, & Cæli diſtillauerunt. Quid inquam diſtillauerunt? mel collectum è Violis, & Lac, & theſauros abſconditos Arenarum. Quid Cælis eſſet cum Arenis? niſi Diuinus Calamus, & ſtellas, & Arenas, in ſemine Abrahæ, colligaſſet. Vtrumque colligauit Diua Virgo in Arenis, & ſtellas inquam & Arenas, dum ſuas Arenas, à ſtelliferi ſtemmatis Fratribus, ijſque ſuis, voluit decorari. vt iam vterque Titulus, & ſtellarum, & Arenarum Patris, mirè vtrique, & Abrahamo in ſemine naturæ, & Heliæ in ſemine ſpiritus, videatur conuenire. Ecce enim ingemiſcente, ſub atroci iugo Saracenico Paleſtina, voluit Devs: ſtellas, (*Iob. 7.*) quas clauſerat (in monte Carmelo) quaſi ſub ſignaculo, cum præcurſoribus Antichriſti, ſtantes in ordine, & pugnantes, (lucendo, & docendo orbi vniuerſo) decertare. *Conſumatio igitur abbreuiata (Iſaiæ 10.) in Carmelo inundauit iuſtitiam.* poſuitquè (ſtellas) in filios, & tribuit eis terram, (ſeu Arenas) deſiderabiles, hæredtatem præclaram exercituum Gentium. ſub vmbra nimirum,

aqui-

læ grandis Sarmaticæ, orbis Prædonũ Fulminatricis. Numera ſtellas, ſi potes. Tres ſunt. Sed trino multiplicationis myſterio, innumerabiles. Si enim reſpicias ſtellam, ad radicem montis illam fulgidam, quid aliud videbis, niſi aſtrorum, & Caſtrorum Carmeli Choros, qui, in tenebris & vmbra mortis, ſub præuia, aduentus Chriſti lege, Prophætis, & ſplendore virtutum, & Virgineæ vitæ radijs, orbem illuſtrauere. Duo verò reliqua, ſupernè Candido Campo aſtra illigata nigri coloris, auroquè diſtincta futuram adumbrant, eamque geminam, ab Heliæ temporibus multiplicationem. Ideò obſcurius eſt. Et primum quidem tempus, quod erat futurum, tranſijt in præſentia tempora, ſub quibus viuimus Chriſtiana, à Chriſti enim prædicatione, Apoſtolorũque, quot putas, in hac vna ſtella emicuiſſe? quâ vitæ ſanctimoniâ, quâ doctrinâ, illuſtriſsima ſydera? Tertium multiplicationis tempus ſub AntiChriſto, adueniente Helia, Tertia complectitur ſtella. Numera igitur has ſtellas ſi potes, quarum Calculus, tot ſcriptorum calamos, enumeratione illuſtrium Virorum, è Carmelitano Ordine fatigauit. His

Tribus Carmeliticis ſuas duodecē Vniuit Virgo. Numera igitur ſtellas ſi potes, quarū vti natura ita & Carmelitarū eſt innumera, & maxima ſublimiſſima, & Cæleſtis, cōſtans, ordinatiſsima, & Æterna, Potentiſsima, Famoſiſsima, Splendidiſsima, & Glorioſiſsima. Et ne obruat numerus, vnam, quæ hæc omnia complectitur, ſuſpice ſtellam, voca MARIAM, *Cui & ipſe ſtellæ dederunt* (Baruch 3.) *lumen in cuſtodijs, & lætatæ ſunt.* Stellā inquā Arenenſem; quæ in Arenis, & violis fortunatiſsima, ſuæ Cracouiæ, & Poloniæ, ſtella Polaris effulſit, inquam, victrix, & Triumphatrix mortis, & morborum, ipſiuſque peccati, Vrbis & Orbis Poloni, per Nati gratiam expiatrix. In his Arenis concidit victus, & fractus Draco ille (*Pſalm* 32.) *ad illudendum ei.* In cuius ſpolijs, expiata, extra muros Hæreſi, erexit admirabile victoriæ Trophæum. Draco inquam, qui tertia parte ſtellarum tractâ, dum iam inter Angelos ſuam non poſſet tueri ſtationem, Glebæ, & Arenis, coniunctus mortalium. *Stetit ſuper Arenam* (*Apocalip:* 12) Audierat enim mortalitati hominum dictum; puluis es, & in puluerem reuerteris. Stetit ergo ſuper Arenam; donec illa, de qua dictum

dictum est: *Ipsa conteret caput tuum* duxit Draconem ad Arenas in Triumphum, adductis manipulis Helianis, quorum facies ventus vrens, Habacuc 1. & congregauit steriles Arenas, in sui Honoris, ac Filij captiuitatem. Sileat antiquitatum ferax Polonia, & non iam Craci memoret Dracones; maiora vidimus, & videmus, à Cracæ vrbis Domina, enecata monstra. Monstrum enim, & morbus, qui, dum per Virginem sanatur, necatur. Monstrum & ipsa mors, quæ, dum in his Arenis resurgunt mortui, vincitur. auditque Christianum opprobrium, toties ante Aras Arenenses: ô mors, vbi est victoria tua? Quapropter in his Arenis, Vultum tuum ô Regina nostra, deprecabũtur omnes diuites plebis. *Jmo & ipsi Reges, vultu in terram demisso, adorabunt Te, & puluerem pedum Tuorum lingent.* (*Isa:49.*) At vos qui puluis estis mortales, in domo huius S. pulueris, seu Arenarum, si sanari cupitis *puluere vos conspergite* Mich: 1.

Sed ego à puluere, & Arenis, ad violas, & violetũ Inuiolatæ Matris, & Virginis. In funiculis Adã trahã eos: dixit Prophetico ore Osee 11. mortalib9 DEVS. Hẽ Funiculos! puluerẽ & Arenas,

nas, per quas trahimur, qui puluis sumus, ad Arenensem Matrem: in vinculis charitatis, per violas, ad Thalamos Regales, Cælorum. Terrarumque Imperatricis. Vinculum charitatis, demissio animi est, & humilitas: cuius violæ symbolum. Trahe nos igitur post Te Virgo, curremus in odorem. Si cum Tuo Nato, traxeris sequentes, vel etiã inuitos, Trahemur in Arenas, per Arenas, Funiculos mortalitatis nostræ, Trahemur per violas, vt Te violis, amore Nati, & & DEI languentem, fulciamus. Flores enim apparuerunt in terra nostra, Rosæ Martyrij, purpureò Cruoris Sczepanouij aspectu, oculis blandiuntur fidelium. Et ipsa Turturis, seu percussoris Pastoris sui, vox pænitentis Boleslauiana audita est. Iam hyems gentilitatem spirantium morum, transijt; Imber persecutionis abijt, & recessit. Surge, Surge Virgo ad Arenas, propera ad violas: Et quæ Laureta Italiæ, vrticeta Germaniæ adamasti; nostra ne despice Areneta, & violeta. Humilis locus est, & solas violas gignit; & violas, & Lilia, vbi Tu pedem fixeris, germinaturus. Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum nostrum, & flu-

ent

ent aromata illius. Audijt, & surrexit Aquilo, dum Magni Iagellonis spiritu, Diuinæque Heduigis, Septemtrionis Regum, in Arenas, Carmelitana Religio est deuocata. Surrexit & Auster & Austria, dum in Arenetum nostrum, & violetum, ex Bohemia transmisit, stellifera Lilia, vt & illa sugerent, & ab ipsis sugerentur, abscondita Arenarum. Obaudite me *verbis Ecclesiastici vtor* Diuini fructus; florete Flores, quasi violæ & date odorem, & frondete in gratiam DEI, Virginis, Hominumque, quorum Virgini ancillantur vota, vt Christi bonus odor sitis; veniensque dilectus Virginis in hortum suum, comedat fructum pomorum. Non antiquorum illorũ, sed nouorum. (*Omnia poma vetera, & noua seruaui tibi*) Nam ad antiquorum esum, *quæ comederunt Parentes nostri, dentes obstupescunt filiorum.* sed nouorũ, ex horto nouo decerptorum Virgineo. Rigate plantationes. & inebriate Arenarum, & violarum fructum: vt propter vos, benedicatur nomen eius in Gentibus, qui est & merces, & fructus Virginei ventris. Plantate in Arenis vestris, & Virgineis, violás humilitatis, lilia castitatis, malogranata charitatis, heliotropia resignationis, quâ vestram voluntatem cum Di-

uina conformetis, Hyacintos deſiderij collium æternorum, Amarantum Crucis, myrrhã mortificationis, Thus orationis, roſas odoratus bonæ ædificationis, & exempli. Tunc excreſcent Lilia, in Cedros ſpei, & contemplationis, violæ in quercus Conſtantiæ, Hyacinthi, & Amaranthi in mundi contemptum, & Triumphorum Palmam, Hæc videns, dicet ſpectator noui Balaam i ore: *num: 24. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael,* (caſtra & aſtra Carmeli) vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit (in Arenis & violis) Dominus, quaſi Cedri ſuper aquas. Florete igitur flores. Sed floreſnè, an & apes? vtrumq;. Mellificium enim quoddam, & Florilegiũ conſtituit veſtri gregis apum Regina, & Mater, nam. & apis ipſa, cui merito accinas illud: ô vere beata, & mirabilis apis, cuius nec ſexum maſculi violant, fætus non quaſſant, nec Filij deſtruunt Caſtitatem. Apes inquam eſtis, veſtra ducente, & Lucente Matre. Mel legite, fauos conficite, corollas nectaris, & Ambroſiæ Cœleſtis nectite. Ite in labores Religioſæ Apes; maiorum imitati exempla, qui iuxta Heliæ fontem, ſolita-

riam

riã agentes vitã, in aluearibus cellularũ tanquã Apes negotia DEI, & Virginis, in dulcedine Spiritus mellificabant. Iungite socias manus, cum Apostolicis Apibus, sociosque pedes; quæ licet humiles, non dedignabuntur cum virgine nostra, & Domina Cracouiensi, vestras violas, & Arenenses: præiuit vestra mater; sequentur. Mella dabunt Orbi Polono: spicula figẽt Tartareis Fucis, vt Vrbano vigente, & florente, mellea felicitatis falce legantur tempora, & faui distillantes Cælestem otij, & pacis, dulcedinẽ.

Sat de Arenis & violis. Nec hîc pluribus. Imagini enim, & ipsius pictori, admoueo manus.





DE PRIMA IMAGINIS PICTVRA, ET PICTORE, ET AD VENERATIONEM POPVLI Expoſitione, ac Baſilicæ conflagratione.

ACcedo iam, ad Sereniſſimam Reginæ Cælorum Imaginem, non tam Coloribus, (qui faciem Virginis adornant) quàm Calamo depingendam. Accedo, ac reuerentem penicillum Vultui, quem deprecantur omnes Diuites plebis admoueo. Vultui, cui iuncta Maieſtas, & vnita Maieſtati Comes contemplatrix vultûs Reuerentia. Vultui, cui adſtat grauitas, quem animat pietas: incolit ſub diuina virtus; procul à noſtra Virgine fuci: virtutem ſpirat & ignes, terrorem & amorem; extra affectûs eſt, terret & trahit, amat, & ſpirat metus: Nihil non Diuinum. Extra affectus inquam, niſi ingentes moueant effectus, qualem proximè vidimus, dum Orientis in quietem, ac pacis otium, ſolueretur furor. Oculus quid agas intentus, & ſedulonè ſuo, quem effigiat Archetypo Cœleſti, tranſmittat preces, & vota? attentus, *Frons Diademati non impar.* Antiquitatis

& vir-

& vetustatis redolens vestigia incorruptus color: & animans viuida, & quasi hodie inducta, & genis, & labris purpura. Iam verò & Puellus, totis in Matrem rapitur ocellis; ita, vt eius & Matris aspectu, actiones mortalium, in grauitatem componantur. Etsi in te, à primo conspectu oculos flectas, pænitet noxæ. Adsunt & ipsã propè Diuam, eiusq; vestem obruunt argentei, aureique testes: & miseris loquũtur, esse præsto, si requirant Patronam. Nec solum corporis cedunt mala, cedũt & animi, mors ipsa, quot Triumphos Arenenses numerat, tot stupet, & confractas sagittas, & pharetras dubia sui, inobsque opis, ad triumphantes suspendit Aras. Depinxi breuiter non vt volui, sed vt potui, nam in his & voluisse sat est: depictam Virginem, à quodam Arenẽsis Monasterij, Ordinis Diuæ, sacerdote. Iam enĩ aduenerat tempus, vt suas Arenas animaret Diua. Et vt non nisi ab Apelle pingi Alexander voluerat; ita hæc non nisi à suo, & cultore peculiari, & Religioso pictore. Quid enĩ cum Virgineo vultu, impuræ manui, & penicillo? Castissima Facies non bene nisi castis tractatur coloribus Beate Pictor, libet enim te

alloqui, quocunque iaceas ignotus hominibus, ſolique DEo, ac Tuæ, quam depinxiſti Virgini, cognitus loco, cui licuit cõcinare coloribus, admirabilis Matris Imaginẽ, idque abſque prototypo; nec enim per ſimilem, vlla antea effinxerat manus, Effigiatum. Conſignatur enim, & imprimuntur Cælitus, quædam Ideæ pientiorum pictorum mentibus, qui, quos Archetypæ Diuinæ manus recipiunt, typos animant, & entheant coloribus, quæ deinde conſequitur opera, adſtes ſuæ impreſſioni vis quædam Diuina. Cõſtat è Duracio, Religioſum fuiſſe pictorem, & in Diuam affectus ardentioris, qui etiã depictis à ſe vultibus, voluit conſepeliri. Secutus veterem ille fuerat Carmelitarum conſuetudinem, Imagines Diuæ, extra templum, in muro, ad publicum cultum, & venerationem exponendi. Idque de foris, & vt plurimũ ad ipſam portam; vt introeuntes & exeuntes, in memoriam Virginis ferantur. Pro cuius ſententiæ confirmatione, teſtimonium Tibi, ex ſenenſibus antiquitatibus, manu publici Apoſtolici, & Ciuitatis Notariorum, ſubſcriptum proponemus; è quo etiam conſtabit, antiquitas Ordinis Carmelitarum

tarum

tarũ in Europa, nempè Carmelitas Senis, circa annum gratiæ 797. floruisse. Verba autem testimonij sic habent.

In DEI Nomine Amen.

IN quodam libro, penes, & in manibus Admodum Magnifici Domini Alexandri Vannocci de Berunguuis, Nobilis Senensis scripto, eius propria manu intitulato, sub his verbis videndus. Questo libro, è vn compendio d' Istorie, o Croniche Senesi; raccolto da diuersi Autori, con modo tanto interrotto, è conciso, che non pur si posson chiamare Epitome, o abbreuiamenti, ma anco fragmenti di quelle, da che non vi è osseruato alcuno ordine, d' Istoria, ma secundo la rozza semplicità, di quel tempo, fatta certa breue memoria, di alcune cose giudicate più notabili senza consideratione, che potesseno esser mai desiderate da i Posteri, sono più tosto restate. che lassate, facilimente più verè, è fedeli, che ornate, o eleganti.

A. D. 797. in 800.

IN detto anno, tornaro i Frati, di Santa Maria, di monte Carmelo, alla Chiesa di S. Nicolò la prima volta, è per vn tempo, vi sterò è Romiti, è poi vi tornarò, i predetti Frati, di volgati poi i Mantellini, perli i Fanciulli buttati alla Vergine Maria, di-pinta nella faccia difuore, doue pendeuano, i mantellini, dei voti sopra detti.

A. D. 802.

IN questo tempo, venne a Siena, vn mandato, da Roma, de Nobili, di Carlo Magno a loro Consorti, è già cittadini di Sienna, a significare, Come Carlo Magno, era incoronato Imperatore, è Carlo suo figliolo Re di Francia, per la qual cosa tutti i Nobili, è Sigri di Origine Franciosi, ferno vn conseglio, nella chiesa di san. Nicolo, hora del Carmine, & elesseno infra loro sei Ambasciatori, i quali habbino à visitare lo predetto Impera-

tore, el figliolo, è portare lo presente, che sarâ ordinato.

El primo Ambasciatore fu èl conte Egidio Francesi.
El secundo Jll: conte Cauiaconti
El tertio Jll: Montanino Thegolei
El quarto Jll: Tolfo di genio de siri
El quinto Jll: Gualtieri Vbertino de siri
El sesto, Jll: Bello de siribelli.

Di poi ordinarò due cioppe di seta, & oro, vna per l'Imperatore, & vna perlo Re.

Ego Lutius Antonij, de Signorinis, de Senis, Publicus, Apostolicâ, & Imperiali actoritatibus, Notarius, Iudex ordinarius, & Ciuis Senensis, supradicta omnia fideliter exemplaui, ex dicto Libro, & in fidem, hic me publicè subscripsi, & signaui, ad laudem Omnipotentis DEI, & Virginis Matris MARIÆ.

Nos Scipio Burgrabius, Capitaneus Populi, & Domini Priores, & Gubernatores Ciuitatis, & Status Senensis, pro Serenissimo Domino Ferdinando Medices, Magno Ætruriæ Duce Tertio, Domino nostro, fidem facimus, cognoscere characterem, & manum dicti S. Lutij de signorinis, & omnia suprascripta, esse eius propria manu scripta, & eum esse publicum, legalem, & authenticum Notarium, Solenniterque descriptum, in libro Matriculæ vniuersitatis, Notariorum Ciuitatis Senensis, & suis scripturis, semper adhibitam fuisse, & adhiberi fidem indubitatam. Jn quorum omnium fidem, & testimonium, has præsentes, per notarium nostrum Consistorialem fieri, & solito sigillo huius Ciuitatis, muniri iussimus. Datum in Palatio nostro die 23. Octobris. 1594.

Mattias Burdonus Notarius Consistorij de mandato.





Vorum ſenſum, cum non cuique ſit peruius, Romano idiomati donabimus. Primis enim illis verbis, ratio explicatur Tituli libri, vnde tractum teſtimonium, ab illo loco: Queſto libro &c. dicitur. Librum hunc eſſe quoddã compendiũ Hiſtoriarũ, & antiquitatũ Senenſium, ex diuerſis auctoribus collectarum, idque non ſeruato continuo filo, & ductu ætatum, ſed interruptè, & conciſè confectarum, vt potius nomen fragmentorũ, quam Epitomes, aut breuiarij Hiſtorici, mereantur. Quapropter non ſeruato ordine Hiſtorico, iuxta antiquioris ſimplicitatis ſtylum, & morem, res notabiliores ſuorum temporum, poſterorum breuitèr tranſmiſſæ ſunt memoriæ, non conſiderante Scriptore, quod debuiſſent à ſucceſſoribus deſiderari, atque multa eſse magis relicta, quam omiſsa, idque veritatis, & fidelitatis gratia. Deinceps vero vti ſupra vides Anno Dñi 797. 800. hæc Italicus refert Author, his verbis: Hoc anno redierunt, Fratres S. MARIÆ de Monte Carmelo, ad Eccleſiam S. Nicolai, prima vice, poſteaque inibi manſerunt Eremitæ, & denuo redierunt prædicti Fratres, à quo tempore platea, in

qua consederunt Carmelitæ, fuit dicta Mantellorum, seu palliòrum, prout vsque in hodiernã diem appellatur, ea de causa, quod Incolæ Ciuitatis Senensis, habebant consuetudinem æuo illo, paruulos suos, Beatissimæ MARIÆ Virgini de foris, (vbi velim diligentius notes, & vsum & nexum Imaginis nostræ, modumque cum Senensi congruere, idq; in Ecclesiæ muro depictæ, quæ in hunc vsque extat diem) offerre, & deuouere. Porrò vicem tabellarum, supplebant puerilia palliola, quæ ad prædictam Imaginem appendebantur. In tertio verò loco, sub signo anni 802. docet, in eadem Ecclesia S. Nicolai, apud Patres Carmelitas, consilium fuisse Reipublicæ Senensis celebratũ, & quosnam Legatos, é medio sui, ad Carolum magnum, destinarint.

Quæ cum ita se habeant, necesse est, Baronij opinionem, de Carmelitarum Originibus, amplissimo Illustrissimæ Senẽsis Reip: testimonio, concidere; cùm ea, quæ hic proposuimus legenda, irrefragabilem temporum habeant auctoritatem. De foris igitur depingendi Virginem, consuetudo fuerat vsitata Carmelitis. Firmat Trithemius, qui & suam in Vrticeto Diuam

Car-

Carmelitarum, extra muros,&in muro venerandā proponit & deſcribit. Remitto. Et connexa ſuo illa ſemper cultui, etiam Nazarethanā, ac poſt Lauretanam ædem, Carmelitica fouerat aliquandiu in Italiæ oris cuſtodia. Nondum ſacellū præſtruxerat, populicis oculis viam; ſed & nec dum tam frequentes, circumſederant Ædes, eripuerantquè ſpectantibus, parthenicum illud Sydus. Nondum Cracouia venerata Imaginem fuerat, ipſe locus, ſecretū orbis, poſt diuulgatū, eximebatur ab hominū acriori obſeruātia. Et quæ omnibus patebat, latebat virtus. ſed primùm vnius duorumuè, demum & plurium tractaſenſim deuotio; inde itum ad Reges, & Reginas: adornata Diadematibus Capita, cum Filio Genitricis, & Cinnamei vtriuſque Crines auro illigati. Rapti deinceps & animi, ac animæ, totaque Cracouia, ac circumuicina loca; demum & vtræquè Poloniæ, ac Lithuania, iuit (vti leges) in Virgineos honores. Flāma cætera, famæ eripuit, ac noſtræ memoriæ, in quibus fuit ſuperſtes ſola ſibi teſtis Virgo, omnibusq; raptis per ignē documētis, originis ſuæ, ſe Calamis antiquioribus probans ſuperiorē, ac

 in me-

in medijs ignibus, ſolam, & vnicam, ex ornamentis Eccleſiæ triumphaſſe. Sed qua de cauſa eæ flammæ, & ignes contigêre; Diuæ gratiâ, non abs re erit commemorare.

Numerabant Chriſtiani annũ ſalutis cælitus ſibi datæ, 1587. poſt mortem Stephani Bathorei, Interregno, & Electione Sigiſmundi Tertij, ac Maximiliani depulſione, memorabilem. Circum ſederãt hoſtiles, & amicæ acies Vrbis mænia, & officio ſuo inſiſtens acriter Zamoſcius, qui cum Imperio, Copijs Polonicis præerat, ſecuritati publicæ, & honori Patriæ inſudabat. Et ne latebræ præberent inſidijs locũ, & receptaculum hoſtibus, Suburbium adiacens ædi Arenenſi, (multi enim Germanorum incolebant, qui ne eſſent proditioni, hoſtemque occulte fouerent, metuebatur.) igne placuit concremari. Prouiderat tamen Zamoſcius, vt ædes Virginis Arenenſis, extra ignes eſſent, & pericula; cui curæ peditatũ, qui Templum tutaretur, præfecerat. Sed Laſcius, qui Equitũ Magiſtrũ agebat, ſiue temulentiæ, ſiue hæreſeos, quâ infectus fuerat, vitio, vrgebat, cogebat, vt proximioribus ædibus Templo, inijceretur ignis. Quod vbi

vbi correptum à flamma, miſerabile præbuit ſpectaculum, cum præſidium, & deuotiorum manus, cum ignibus amouendis, & extinguendis decertarent, illinc & remotiorum oculi, qui iam rapi in ignes pietatis domicilium videbant, caſui illacrymabant. Ipſe ante alios Zamoſcius, indolens inſperato malo, accurenſq; inſtabat omnibus modis, vt flammæ, quæ iam viſcera tenebant, ſopirentur; ſed in caſſum abiêre pij conatus, & tandem concidere in Cineres, Magni Hermani, & Iagellonis Curæ. Quo in periculo, ſola remanſit tuta Virgo, Sacellumque iam magnæ deuotionis argumẽtis Illuſtre, Facieſque illæſa Reginæ, auertendis periculis, & morbis, mortibuſque hominum ſeruata. Res fuit admiranda omnibus. Hoc vnicum pietatis propè monumentum integrum, inter ignes, tã ſubitos, acres, & inſperatos, remanſiſſe. Nimirum prouiderat DEVS Fratribus, qui nil reliquũ haberent, Theſaurum, quo deinceps & vitam traherent, & conflagrationis de remedio haberent prouiſum, ſtruendiſque ædibus, & ornamẽtis, & Patronam, & ſubſidium ſingulare. Sed ad Imaginem redeo, in quam ante incendiũ, miro

iam populus ferebatur affectu. Absumebantur diurnæ, nocturnæque Horæ, Virginis deuotione, & assuefacta, & mansuefacta, Deiparæ honori, ac seruitio Vrbs, viuere se beneficijs Magnæ Matris crebris, quà cerâ confectis, quâ metallicis signis prædicabat: cum Devs ipse, clarioribus indicijs, Matris reuerentiam prosecutus, insolito, & incognito fulgoris aspectu, & nocturnis splendoribus, oculos Vrbis, & Suburbiorum prouocabat. Auditi cantus, visi septem micare Ignes; missi à Magistratu Cracouiensi, qui de re insolita cognoscerent, & Custodes additi noctu. Et vbi de veritate cognitum, relatumque, maior Virginis percrebuit Fama, & iam ad Violetū Populi instar apum confluebant, Deo & Virgine deuotionem comprobante, sequentibus Signis.



MI-



MIRACVLORVM

PER ANNOS ET ÆTATES,

A

DIVA VIRGINE ARENENSI

Cracouiæ Patratorum ab Anno 1520.
Vſque ad Annum 1610.

PARS PRIMA.

ANno Chriſtiano 1520. Puer triennis, è Clepardia oriundus, abreptus aquarum rudauienſium vorticibus, triumq; horarum ſpatio ſub aquis hærens, trepidâ Parẽtum ope, fluuio extractus: voto ad B. V. M. per Parentes concepto, ante Imaginem allatus, adiuuante DEO, & intercedente Glorioſa Matre, vitæ ſanitati, ſumma cum admiratione omnium reſtituitur.

ANno Chriſtiano 1530. Puer item alius biennis, caſu in aquas inciderat, mæſti parentes aliquot poſt horas, triſti, innatantis deſuper, ſpectaculo attoniti, dũ fluitantem exanimẽ cernunt puſionem, eodem in loco genuflexi;

durâ & inſperatâ fortunâ, raptum pignus emortuum, benignæ in mortalium pericula Virgini offerunt. Mira res: aquæ, magnæ Parentis iuſſu, ſuique curſus oblitæ, littori reſtituunt, & parentibus deploratam prolem. Affertur ante Aras, & ſtupentibus qui viderant, & valuit, & vixit.

ANno Chriſtiano 1532. Ipſo præſentatæ Virginis die Feſto, homo receptâ ſanitate, quâ exciderat, & diuturna preſſus valetudine, & iam mortalitati proximus, eadem die, & votum per propinquos concepit, & ſanitatem recepit, votaque Virgini, ante admirandam Imaginem, integritate donatus, exoluit.

EOdem anno & die. Fuit quædam Cracouienſis Ciuis, quæ à cogitationibus dæmoniacis, laborare cæpit, per medium fere anni; Erant: ſubitò morituram. Continuò affligi, & corroſiones mentis ſentire. Ecquis enim nō timeret terribilium terribiliſſimum (non Tulliané forſan loquar) monſtrum? & præſertim ſi ſubitò, ſubitum in animum inciderit. Incidit. Et malum illud quidem incurabile, medicæ facultati; & ſenſim intimas inuaſit, & corrupit fibras.

Culpa-

Culpabant faſsæ culpas mentis Iudices, non ſanabant; ibant ſigna in morbum, & diuturnum. Quærelæ, lacrymæ, dolores, orbitates abſq; ſpe; vrgebant curæ, nec eſcæ locus, nec ſomnis. Suggerit quiſpiam bonus genius: Feſtum adeſse Virginis Carmelitanæ. Aſsenſit; & vt fidem firmaret promiſsis, candelam- ſtaturam ſuam ipſius exequantem, Virgini Opitulatrici offert. Vbi obtulit ille, Virgo morbum abſtulit. Minuuntur ante Aras dolores, tranquilitaſque repente incipit. Et iam tota agitur è morbis metamorphoſis. Sanat curas mortalium Virgo, & Diuina in hominum agunt, & fidem exercent, vbi maxime ſperaueris, & credideris.

ANno Chriſtiano 1533. Morbo grauiſsimo, eoque quadruplici, Nobilis Vir Thomas Chełmſki tenebatur, idque in itinere. Nam Herus certorum negotiorum gratiâ, in Sileſiā deſtinauerat. Quilibet ex morbis mortifer erat, tentati fruſtra medici: nec niſi Cœleſti medicinæ, relictus locus. Ad Cælum igitur tenſæ manus: & ad Virginem in Arenis. Vouet, ſi opem, & ſolatium ſentiret, præſentem ante Aras gratitudinem. Vouit, & curatus à Virgine, vo-

ta reddidit. Manum DEI, ac Virginis, cunctis qui viderāt obstupescentibus, viderunt ad Aras gratum Arenæ Parthenicæ, post octauas Festi Legationis Angelicæ, ad Virginem.

ANno Christiano eodem. Ipso Purificatæ Virginis Festo, virguncula medicorū sententiâ decretoria, extra spem valetudinis bonæ posita, parentum voto, comitiali liberatur morbo. Quindecim passa paroxismos vna horâ, repentè conualuit; vbi Diua Virgo aduocatur; Parens vterque puellam ad Aras oblatam, deferunt.

ANno Christiano 1534. Die B. V. Mariæ ad Niues sacro, puer vndis quibus abluebatur, Matre se foras proripiente, repente absorbetur & suffocatur. In re & casu subitò, & insperato, totâ parentes in Virginem feruntur spe; nec aliud remedium pius suaserat dolor. Ecce autem mirum: Puer viuit. Parentes serio gaudere, & gratias Diuæ agere. Illudant Hæretici, triumphet mirorum fæcunda patratrix Virgo. Serio cultu, Virginem qui colimus, memoriâ æternâ miraculis donemus.

EOdem anno. Non tacebo & aliud, eodẽ anno patratum miraculum, clariſſimum Virgineæ liberalitatis decus, & argumentum. Vxor Figuli cuiuſdam, grauiſſimo morbo per ſedecim ſeptimanas detenta, longâ morâ, & vires amiſſæ: nec niſi ope mariti, ad naturæ functiones viuentes. Extra ſpem poſitæ, venit in mentem & memoriam, Feſtum Conceptæ Virginis, quod tum agebatur. In lecto igitur, vota concipit ad Diuam, & ſuam Arenis, & ſacræ Imagini, deuouet ſalutẽm; & ſpondet, ſi Cælũ votis aſpiret, ſe nudipedem acturam gratias, cupida celebrandi Feſti. Quid faceret DEVS, audito Matris amantiſsimæ nomine? Mira res: Ipſo temporis, quo vouerat articulo, conualeſcit; & ad Aras, iuxta pollicitationem, quam fecit, accedens; ſe liberam eſſe agnoſcit, eodem die, & miratur.

ANno Chriſtiano 1535. Renouabat Eccleſia Triumphum Exaltatæ Crucis, dum in pago vicino Cracouienſi Vrbi, qui dicitur Wolia, eſt id, Illuſtriſsimi Domini Staniſlai Lubomirſki, Ruſsiæ Palatini, à delicijs prædium, idqu amæniſsimum. Erat inibi biennis puer, forte

& casu inciderat in piscinam, aliquot per horas quæsitus, & absque vita inuentus. Vterque Parens æquo sauciatus dolore, admonitu Pientiorum, ad Virginem vitæ & mortis Patronam, precibus rem deferunt. Nimirum Diuina prouidentia eo tempore, maximè in funeribus triumphat mortalium, quo spei ratio labâscit. Defertur ad Diuæ Aras exanimis pusio, & inter vota lacrymis per mixta, aucti multorum comitatu Parentes, fundunt preces. Et ecce mira metamorphosi, ad illa verba materna, *Regina Cæli, adiuua & intercede*, reuiuiscit, cunctis qui aderant, admirantibus, puer. Mater inter gaudia & Iubilum cordis, penè (quæ inter dolores, viuere vix potuit) viuere vix non desijt.

EOdem anno. Nec solum adest fautrix mortuis Vorgo, adest & moribundis puerperis. Mulier quædam in partu laborans, iam cæperat impatiens vitæ esse. Maritus magnâ fiduciâ in genua concidens, adorat & implorat DEI in Virgine opem. Adorat, & supplex orat, & mox ecce dolores Virgini obsequentes sensim minui, & partus facilis subsequitur, & integræ valetudinis alacris, & infantem & matrem

Ma-

Matri gratiarum in Arenis, à limine mortis, gratus miraculi præsentat.

ANno Christiano 1538. Checinum, Regia Ciuitas est, marmorum fossione in Polonia celebris. Illic inuasit puerum languor, & artuum stupor. Et vt medicorum verbo vtar vsitato, Paralysis, brachia, manus, genua, tibiæ, pedes, sine viribus & officijs, vnum caput tantũ in motu, & oculi; si etiã excipias vocem, nam & hæc dolore interclusa. Malà sorte percita Mater, asperabatur acri & assiduo prolis dolore. Venit afflictæ in memoriam Virgo in Arenis, morbis, & mortibus ipsis Polonorum propitia. Vota ad Aras Arenenses concipit: vbi amissæ & spes & opes medicæ. Continuò & valetudinem & vocem recipit. Nunc & miraculoso vigore àuctior, & qui alieno officio membra mouebat, Diuæ cum Patre, suam debet salutem receptam.

ANno Christiano 1542. Redeo Cracouiam, & viuam in memoria hominũ virguncula, post fata, Virgini, meo calamo dedico. Hæc morti proximior, quam vitæ, & sanguinis continuâ per os egestione indies debilior. Dum

medici meditari funus iubent, Parentibus, ad Virginem Arenensem confugientibus; redditur ad modos veteres suæ valetudini. Actum feria quarta, post Trium Regum proximâ.

EOdem anno. Eadem in Vrbe, in Diui Nicolai platea, cerasorum nucleo suffocatus pusio; absque voce propè & vita, ad Virginis Aras Carmelitanas, promptæ & certæ suæ Cracouiensi Auxiliatrici, à Parentibus oblatus. Vix precati salutem impetrârunt, & vitæ per Matrem vitæ, redditus puer.

ANno Christiano 1543. Iterũ in aquis amissæ vitæ pueri Triennis, Mater se propitiã, ipso peruigilio ascendentis in Cælum Filij, ostendit. In piscinam is proximiorem fuerat lapsus, à Matre dum quæritur, propè duo funera, pusionis cum genitrice fuêre. Iamque & solatij, & delicij sui oblitæ, de propria salute laborandum erat. Inter igitur & luctus, & fluctus, dum hæret; suam primò Virgini, quam intra aquas debuit, extra aquas debet salutem. Debet, & spe integra infantem mortuum vndis extrahens, eidem offert Cælesti Opi, & Opitulatrici. Geminantur miracula, cum matre, eadem luce, viuit puer

er. Atque ita, & puer & mater, aquis propè confecti, grati miraculi Matri superuixêre.

ANno Christiano 1544. Non cessant miracula & hoc anno, nouas opes Virginis aspicit, & numerat Sol. Sanatur enim in gutture atrox malum. Diuam vbi inuisit ægra mulier, toto corpore in dolores verso, repente sana efficitur. Et Virgini ad Aras, & grates agit, & vota persoluit.

EOdem anno. Intra Octauas Annunciatæ Virginis, & nouum beneficium, & fama noua Diuæ longiùs diffusa. Inciderat in Istuleum fluuium (quem ante pauca sæcula scriptores nostri, à Vanda Poloniæ Imperatrice Virgine, Vandalum dixêre) puer septimum agens annum. Intumuerant aquæ, proluuio Carphati auctiores, & rapuerũt sarmenta, ab ædificio nauium deserta, parentum iussu colligentem. Abripitur & tener opis & consilij, hauritur fluctibus. Adfertur tristis nuntius ab altero puello parentibus, qui vna cum demortuo legebat ligna. Qui priusquam auxilio adessent, à primo Nuntio in Virginis Arenensis sinu, pueri deposuêre salutem.

Certauêre & Fides, & promptæ in Fidei nexus, Cælestes gratiæ. Quid enim Matri negaret Author ille vitæ? Mirum ſcriptu! ſpes & opes, vbi in vna poſitæ Virgine, officij ſui immemor aqua, per medium fluctuantem puerum, in Triumphum agit aquarum, abſque vita & functione vitali. Iterum itur in vota. Retrogrado motu defertur ad littora, & mæſtis brachijs leuantes, exanime ſolatium. Offerunt benignæ in hominum pericula Matri; vbi ſacris adſtites plena viuum ſpirant & ſuſpirãt fide: votis ſolutis, viuum quem optauerant habent, & aſpiciunt.

ANno Chriſtiano 1545. Sed & anno ſequẽti, in Kauiorij, Paren Adamus vna cum thori conſorte, benignam Virginis manum, in periculo perſensêre. Ibant quærendæ alimoniæ gratiâ, & domi puerum reliquerunt; incidit hic in piſcinã, & fluctibus obrutus hauritur. Inuocatur præſidio Virgo, ſerò ſed ſeriò adeſt: & puerum reddit Parentibus, & puero vitam. Quidni ringeris Hæretice, dum audis Eccleſiã Virgini ſuæ accinentem: *Auxilium Chriſtianorum, Ora pro nobis?*

Eo-

EOdem anno. Morſu ſerpentis, puer propè amiſerat vitam. Anguntur Parentes, & lento toxico per triduum, puerum propè abſumptum illi vouent, de qua Prophæticè paradyſus, dictum illud oraculum audijt: *Ipſa conteret caput tuum.* Offerunt tandem, & afferunt ad Ad Aras Arenenſes. Percuſſère gemitus Cælùm, & querelæ afflictorum, Conſolatricis aures emolliuêre. Reſtituitur membris ſuus ille vigor, & vix ſibi ſenſus adſtantium credunt, dum puerum ſanum & vident, & mirantur. Vidit miraculum Cracouia, ipſo die Feſto Sancti Staniſlai Cracouienſis Epiſcopi.

ANno Chriſtiano 1546. In Pago vulgò dicto Czarna Wies, emortuum fætum, mulier dicta Samſonowa edidit. Influxit in aures eius ſermo, de Virgine Arenenſi; inclinauit in vota fide armatam ſpem, & mox mirum dictu! is, cui iam ſepulchrum paratum fuerat, puer, Solē, poſt tres horas amiſſæ vitæ, aſpexit; & ſanus perſeuerauit.

ANno Chriſtiano 1550. Apothecarium quēdam quoque, extra ſpem Galeni poſitum, Virgo ſanitati repentè reſtituit. Erat is iam

absque vsu sensuum, & morti proximior quam vitæ. Vrgebat malum, sed precibus, pro eo ad Virginem Arenensem effusis; repentinâ circũfusus luce, subitam recepit sanitatem.

ANno Christiano 1551. Ante Corporis Sacratissimi Octauas, mirum aliud spectauit Orbis Polonus. Octauum agebat annum puer, inuidit huic prolixius vitæ filum, sæua, & partior ætatis Parca; & in puteum illapso Clepardiensem, Solis vsuram præscidit. Malum proxime tetigit Parentes. Nam naturæ iura vbi abrumpuntur, transeũt in vehementiores dolores, & lentius agit in funera, remotus dolor à sanguine. Vbi reperêrunt extinctum; itur votis ad Virginem. Humana enim pericula, sola spes Cælestis fulcire solita. Itur inquam; & ecce Maris Rubri Phase nouum, reuocat sub oculos Cracouienses Virgo. Bifariam finduntur aquæ, mors confunditur, egreditur illæsus puer, & fune demisso extrahitur. Confundere & tu cum morte Hæresis, & ad veteres modos crede Polonia, ac noua exue dogmata. Sed ecce miraculum miraculo succedit, quas dispertierat Numẽ aquas, Numen redintegrat, & suæ naturæ compotes fiunt, quæ naturæ oblitæ fuerant. An-

ANno Christiano 1565. Aliud, die sancto Sigismundo sacro, contigit; Figuli cuiusdã puer, Fatis properis interceptus, & morbo, qui medicorum omnem opem eludens, spem Parentum, & flosculum illum confecit. Absẽs forsan fuerat Mater, quæ nouellâ acerbâ percita aduolat; & certa spei in Virgine Arenensi, cuius fama, & beneficia Poloniam permouerant, Filium, quem iam ablatum, & feretro compositum reperit, procidens in faciem, Matri viuentium offert, & vouet. Certant cum Fide, Cælestes Gratiæ; & Parthenius Fauor, & medullata suspiria, & silentia aspicit Cardiognotes DEvs, & Matris precibus Iura corruptionis immutat, & quâ corpus priuauerat formâ, animat. Consurgit qui vixerat; & gratus Opis, cum Parentibus Virgineæ Beneficentiæ deinceps vixit testis.

ANno Christiano 1566. Vno integro anno, Matrona quædam grauiter decubuerat; at spes & animus subleuant, sanam fore, si Arenensi Virgini dubiam, & desperatam commemendet salutem. Fecit, & calidis lacrymis quærit, & ambit gratiam, & inuenit. Ante

Sacratiſſimas Corporis Feſtas Octauas.

EOdem anno 1566. Oculo Tuo miſericordi, ô Virgo, debuit quidam oculos, & quo diuturno tempore caruerat, viſum. Inclinauit animum & ſpem ad Virginem, ipſo Immaculatæ Conceptionis Feſto. Quid pluribus agendum? (lege, & rumpere inuidiâ Hæreſis;) reſpexit.

EOdem anno 1566. Inter Octauas Viſitationis Matris Elizabetham, Feſtum, proprium Arenenſis & Carmeliticæ Virginis: Mulier quædam vſum pedis, per medium Anni propè amiſerat; vouit ſe audituram, ante Aras Virginis, Sacra miſſarum myſteria, & credit ſe ſanam forè, & ſubitò ſentit. Rediȷt pes ad veteres modos, & ſana abiȷt, & perſeuerauit.

EOdem anno 1566. Ipſo peruigilio Conceptæ ſine Macula Virginis, Matthias de villa Czerzyny oriundus, puncturis, & aculeis quibuſdam aſſiduis, in capite & cerebro diuexatus, doloris impatiens, penè impos mentis efficitur, Aſt vbi amici, fama accidente de Virgine, in vota eunt, & ægrum ante Aras Arenenſes præſentant; ex impote compos, gratum ſe, perpetuò

petuò teſtimonio, beneficio Parthenico exhibuit.

ANno Chriſtiano 1570. Aliud perſimile beneficium, quædam conſecuta ab Aris Perſona, eliberato capite, à graui quod premebat malo. Legitiſnè iſta, & Gratias Cœleſteſ illuditis? *Redite prævaricatores ad cor:*

EOdem anno. Addamus & tertium ſimile, Corollæ noſtræ Benefactricis, ex horto Gratiarum eius decerptum munus. Fructus iſte Fidei eſt, & erat in muliere quadam nobili, variè & extra ſpem poſita, & afflicta. Vbi deſinunt mortales curæ, ibi inchoantur Cæleſtes. Nam & præter capitis malum, & officium aurium amiſerat, aceſſerunt & inſomnes noctes, & comes ingentiū dolorum inedia. Quid ageret? viribus, & ſpe, humanâ curâ cadere; Admiſſi & dimiſsi medici. Mortem meditari; Sed tota tamen in Ope Virginis eſſe, & in eam votis ferri. Effectu res certiſsima mox ſubſequitur. Libera doloribus, plenè & planè ſaneſcit, & aurem auream, quam vouerat, Virgini, grata & gratiæ memor, ad Aras defert & offert.

ANno Christiano 1574. E Gratiarum fonte, aliud scribo quod mirere mirum. Erat Cracouiæ Matrona, à Dominica in Albis dicta, vsque ad Visitantis Virginis Festa Carmelitica, comitiali morbo laborans; effusâ in medicos omni substantiâ, præter solam, nihil habuit reliquum spem, quam transfert eò celerius in Virginem Arenensem, quò etiam, ipsi propinqui, erant infirmæ & oppressæ gemino malo, pauperiei scilicet, & morbi, subtracta omni ope, & præcisâ copiâ sui, grauiores. Proprium enim huius mũdi, non virtuti infortunæ, sed quã libet vitiosæ fortunæ ancillari, & obsequi: & eòusq; prosequi fauoribꝰ homines, quousq; sensus indicãt & iudicãt aliquid, quod in commune cedat super esse. Ast vbi fortuna inclinauerit, eodẽ & fauor, non solùm remotiorum, sed & propinquiorum, & necessariorum inclinat. Vbi igitur illa verba cum Regio Psalte dicere potuit: *Amici mei & proximi mei aduersum me steterunt.* Audit sæpius de Benefica Diua, & integra fide inuocat & prius adit Matrem, cuius in Cracouiensi foro spectatur Templum, & ante Aram Corporis Christi, supplex precatur calidè, & Filium &

eius

eius Matrem, vt iuuet, idque sub tempus ipsam Elizabetham inuisentis Virginis. Sentit interea inter orandum interiùs vocem: Non hic, sed in Arenis, apud Aras Virginis sanitatem reperies. Credit, & sequenti die sacrificio interest. Detergit omnem dolorem Virgo; & mox quò clarius esset, miraculum Virgineum esse; iterũ redit malum, & ante vespertinas horas diuexat. Sed eodem die, serio cogitat iterum medulam apud Matrem DEI, apud quam inuenerat mane. Quærit igitur sub vesperis ad Aras salutem, & plenius, quia forsan fidentius quæsijt, & reperit.

ANno Christiano 1580. Bochnia est Oppidum, quatuor ab vrbe milliaribus situm, salis fodinis admirandis illustre, & inclitum. Erat ibi Anna Stygarowa, officij id inter cultores montium nomen est; Stygari enim inferiores operas dirigũt, & quasi ad eas manu ducunt. Hæc & aurium, & linguæ priuata officio, & vsu. Offerunt necessarij, & si voti compotes reddantur, Virgini Arenensi gratitudinis symbolum, ante Aras appendendum vouent: & mox ad Opitulatricem sanctam, surdam illam, & mutã adducunt. Accedit ex voto ad Aras, sacrificiũ

celebraturus Sacerdos, & dum confessionem generalem inchoat, sub illa verba: Confiteor. Exclamat illa & loquitur, & loquentes, stupentibus, qui aderant, audit. Nullo vestigio vltra prioris mali. Quid adhæc incredulus Hæreticorum liuor? quid inuidia? aut tibi obtrectatrici Virginis, linguæ ardendũ. aut pænitendum. Tertium enim restat, & medium nihil.

EOdem anno. Etiam inter acerba iura, suam opem quærentibus non denegat Virgo. Causa propè ceciderat: Nobilis quidam triginta à Cracouia milliaribus, ad banniendum res erat, & proscriptionem; recurrit ille votis ad Arenensẽ Diuam & se sua vouet, si liberetur. Et ecce subitum solatium. Immutatum os causidicum, & sententia iudicum; immunem ab omni iure, & iniuria Virgo, & sibi perpetuo obstrictum facit.

ANno Christiano 1586. Filia inopis Matris grauissimè decubuit. Mortifer instabat morbus & vrgebat ad feretra, & sepulchra. Quia vero deficiebant opes, procul etiam à medicis erat illa vis morbi; & iam sensibus ac memoriâ, abstraxerat ægram. Quid faceret tristis

Mater

Mater, piè precatur, & ante Aures, non illas pictas, Virginem, quæ cælum incolit, inuocat. Adest ſuis per Virginem DEVS, etiam huius repentè ſanæ, ex ægra, ſanitate coronat, & adornat Aras Arenenſes.

ANno Chriſtiano 1591. Languor acerbus inuaſerat cuiuſdã hominis pedes, nec moueri ſinebat loco. Increſcebat dolor. Dum ille mittit nuntiam mentem ad Virginem, eamque ſupplicem, quid ſequitur? Spem & Fidem vouentis, repentina excipit ſanitas.

EOdem anno. Perſimile factum aliud eodem anno, & pedibus languentis & ægrotantis, reddita ſalus accepta. Leuiora videntur hæc, ſed non paſsis. Quidni morborum ſit ea Curatrix, quæ mutauit nomen Euæ auctricis morborum. DEVS ſanat per Mariam hominũ genus; quod in morbos coniecit ſathanas per Euam.

ANno Chriſtiano 1599. Addo recentius, & eo ipſo, quo nati ſumus, qui hæc ſcripſimus anno. Ante D. Staniſlai vrbis Patroni Feſtum, agitur Maij octaua die; Puer Nobilis cuiuſdã Matronæ, quæ è marito dicebatur Oſtrowſka,

vltimo aſpirabat agoni; qui aderant, moribũdo in manus, Chriſtiano de more, dabant Cereum: Non tamen Parentes extra ſpem, licet humana remedia deficerent. Recurritur à Parentibus per Virginem ad DEVM Fontem ſalutis, & omnis melioris eſſe, vt per Matrem patret, quod erat in votis. Attendite, qui Cæleſtia pharmaca aut contemnitis, aut faſtiditis: Arenenſis Virgo, & Galeni ſuperat doctrinam, & Hippocratis Aphoriſmos. Dum cæteri DEO animam commendant, Parentes vt ſuo Corpori commaneat, petunt; & voto facto obtinent. Taliter honeſtat, & attollit ſuam DEVS Matrem.

ANno Chriſtiano 1603. Noua, Diuinæ prouidentiæ argumenta ſpectauerunt Arenæ, teſtabuntur ætates, & ſol propè per annos ſingulos armabitur, qui hæc vidit contra inſenſatos. Nam hoc in anno Virgo à medicis derelicta recurrit ad Virginem, & mox ſe liberam à febribus ſenſit, & agnouit.

ANno Chriſtiano 1604. Auxit mira facta, & appenſa anathemata, & Mater DEI, & ad Matrem in Arenis recurrens, cum coniuge Helena

lena Stanislaus Złotnicki, Mai 15. colludens forsan riualibus suis filius in Rudauam, auulso littore inciderat, inscijs Parentibus. Triennis erat, & eò celerius extra opem, & indigæ consilij ætatis. Inaudierat casum vicina Parentum, Gromnicka dicta, & post fata puero adiutrix succurrit; extrahit aquis exanime, & parentibus reddit. Illi ad commune solatium mortalium confugiunt, ad lacrymas inquam; etenim hominum arma sunt, quædam in vim Fatorum lachrymæ. Sed nullo fructu, luctus agunt in fluctus, aliò erat flectenda spes, & in Virginẽ Arenensem vota: Flexerunt, puer reuixit; En palam Fructus Christiani voti, & magnus.

ANno Christiano 1505. Adnecto & alterũ; In Krowodrza est vicus nexus Cracouiæ, Mulier decidens ex alto diffregerat costam, idq; bifariam. Agebatur Virginis Festum visitantis, Mirum dictu! Os, voto facto ad Aras Arenenses coaluit, & integrum permansit.

EOdem anno. Die Iunij 6. In villa Strykowo, vno distante à Niepołomice milliari. Equos quatuor feraciores tractans ad aquãdos Puer quidam, in Istulam progressus, rapidioribus

ribus fluctibus haustus, & Equorum furentium calcibus propè obtritus absorbetur, vna cum eo & equi duo. Quid facerent Parentes? quærũt, & requirunt, & tandem exanimis inuentus. Offerunt ad Arenenses Aras; Nec pluribus scribo. Viuit qui vixerat. O Author vitæ mortalium! quot testes in extremo Iudicij die, incredulis sistes: qui Hæreticorum auribus, & oculis defigent, acres conscientiarũ aculeos, aliter de Te, & Tua Matre, fuisse sentiendum.

ANno Christiano 1607. Atque vtinam illi sic animo respiciant, vt hic de quo scribimus puer. Erat is per medium anni exacti cæcus, & ita natus. Silet Æsculapius, neque enim ab eo tentata salus. Quid agendum? Ad commune Asylum Christianorũ, ad Virginem scilicet ad Virginem, ad Mariam recurrêre Parentes: Et ecce ante Aras Virgineas, qui Matrem non nouerat, non prius nouit, & vidit, quã eam videret, per quam lumen, & lucis vsum percepit. Exclamare hic libet cum Lipsio in Diua Sichemensi, & scribere: Quis tam alienus à pietate, qui vbi rem, euentumque nouum à Natura, à ratione dissonum videt, non moueatur animo,

mo, & intimis præcordijs, & velut ictu quodam admirationis, percuti se fateatur? An talia ex Schola Lutheri, & Caluini expectamus? Non vtique vitam, sed mortes, & Catholicorum cruces, & exoculationes. Sentit Anglia quod dico, & Belgium.

ANno Christiano 1610. Martinus Cracouiensis Ciuis, è Nundinis securus, (vt solent mortales) periculi redibat; & ecce latrones instant, & iam ferire tentant. In dubia spe vitæ, ad Virginem Arenensem attollit oculos, & animum; & quod quæsiuit præsidium diffugientibus latronibus, inuenit. Gratus miraculi, & DEo, & DEI Matri.

EOdem anno Concludo hanc primam miraculorum partem, Nonaginta complexam annos, alio miro facto, & euentu cuiusdam fæminæ Zophiæ, Filiæ Nobilis Dominæ Margaritæ Landanskiey, quæ morbo grauissimo, cui iuncta erat comes calida febris, eoque diuturno premebatur. Accessit & aliud malum, vi prioris extortus vsus oculorum, & copia videndi. Impendunt Parentes opes, & verè per Medicos curant, sed extra omnem curam & cu-

rationem mors. Lassa denique & ipsa facultatum lora, & impotes consilij, vbi pecunia desijt, ad Cælestia primò subleuant mentem: etenim sic mortalium fert mos, non nisi vbi adacti fuerint casu aliquo, DEI meminisse. Quamuis prius quærēda humana remedia, & Fides, non nisi in re dubia exercenda. Ad pedes igitur Serenissimæ Reginæ Cœli, abijciunt ægram, quæ antequam in Arenis tentasset auxilium, alibi in diuersis Templis pertentârat. Adest igitur Missæ Sacrificio, ad cuius initium, inter vota & suspiria, dum ante Imaginem procidit in faciē prona, deficientibus, inter intimos cordis, pij affectus, verbis: & ecce supplicantis, & supplicis caput cæpit acerbius, quasi tonitruorum quodam fragore exerceri, & concuti; & subito abscedit malum, & Anathema Diuæ obtulit Liberatrici.

PRIMÆ CONCLVSIO PARTIS.
AD LECTOREM.

INterrumpo hîc Lector, non Diuinæ liberalitatis Fontem, qui in dies vberior manat, sed

ſed orationis meæ, in miraculis filum præſcindo, mox eandem telam contexturus, vbi te monuero paucis. Vnde hæc ſint miracula deſumpta. Et Cur pleraque debitis circumſtantijs careant, veluti Nominibus proprijs, locis, tempore, & alijs ad Hiſtoricam fidem requiſitis; prout in Diuis Hallenſi, & Sichemenſi, annotata à Lipſio vides diligentius. Et primum e libero fidem, & vnde deſumpſi quæ ſcripſi, adnoto: Ediderat in anno Dñi 1610. Reuerendus piæ memoriæ Pater Frater Hiacynthus Duracz. Ordinis Fratrum B.M. Virginis, de Monte Carmelo, in Arenis Cracouiæ libellum, quem dicauerat Cracouienſi Magiſtratui, ſub Titulo.

Hiſtoria de admirabili, & miraculoſa Imagine B. M. V. quæ eſt apud PP. Carmelitas eiuſdem Immaculatæ Virginis Religioſos in Arenis, in Sacello laterali, in Muro, ab Antiquiſſimis temporibus depicta.

Et quia moris eſt, Cenſuræ Romano Catholicæ, talia opera ſubijcere, quo maiori auctoritate, Libellus eius in lucem prodiret, dedit Academiæ Cracouienſis Rectori, & alijs Theologis eiuſdē Academiæ relegendum, & approban-

dum. Cuius Censuræ mentionem posuit ipse, è quo hæc desumpsimus, Author, in calce libelli, quæ sic habet.

Permißu (præmißâ diligenti visione) eorum qui ad Censuram huius operis sunt deputati; nimirum Magnifici & Admodum Rndi Domini PETRI GORCZYNI *Canonici Cracouien: Almæ Academiæ Cracouiensis Rectoris, qui cum alijs hunc libellum propriâ subscripsit manu.*

Lege igitur & Crede, præsertī cū à me simplici veritatis amore, res prout accepi scriptæ sint. Nec meo, sed Virginis ductu, quæ beneficio impulit vt scriberem. Stylus etiam, in vsu & nexu meus. Procul igitur Fraudes & Fuci. Pius enim Vir, & notus Doctrinâ & Sanctitate, materiam hactenus mihi suggessit. Et quia Orbi hæc scripsimus, & non vni oculo, aut auri, sed omnibus; si qui mirentur, Censores adeò graues, cur de circumstantijs non inquisierint? Ignis multarum rerum memoriam extorsit, qui sub tempus Interregni, dum Sigismundus III. eligeretur liberis suffragijs in Regem, multa ad hanc rem conducentia, & facientia, anno, Templo Arenensi Fatali, nimirū 1587. eripuit, & corripuit. Tam durus hospes, vix siuit Fratres Monasterio egredi, cætera ignium dilu-

diluuio absumpta. Adde præterea. Exordia Gratiarum Parthenicarum, magis cordibus infigi, si extra calores verborum sint Spes & Fides. Et mira omnia sensim in animos agunt, & sua diuturnitate mansuefaciunt, & assuefaciunt in pia obsequia affectus, sponte in Diuina ruentes. Sed ego ad cætera miracula, Calamum admoueo; quibus describendis antequam accessero, Fidem auctoritate, vnde habeantur firmabo.

Tu si fatigatus legendo es, respira: & ad
Virginem dum spiras, in hoc
Exilio aspira, & suspira.





MIRACVLORVM, ET GRATIARVM, DIVÆ VIRGINIS ARENENSIS, IN VIOLETO OPERA, DEI TER OPTIMI MAXIMI, Patratorum ab Anno 1610. vsque ad 1634. Inclusiuè,

PARS SECVNDA.

Præmonitio ad Lectorem.

HÆc, quæ ſequntur Miracula, non iam è Duratio petita; ſed à Viris fide dignis, & Conſcientiæ, ac morum teſtimonio probatis, & commendatis; quorum informatio haberi potuit. Cætera erant è tabellis petenda, quarum innumeræ, mutum præbent Gratiarũ teſtimoniũ, quod & tempore, & perſonis careant. Profecto his illud Diuinum Chriſti oraculum poſſet applicari: *Nonne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Etenim Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt. Tobiæ 12.* Et ſiquidem, ſtellæ Coronæ Virgineæ,

tàm

tàm benignè in nostrum Cracouiense Clima, imo totius Poloniæ Regnum, influunt: gratos nos præbeamus, vt qui tot, ac tanta recipimus beneficia, maioribus digni inueniamur. Si quis ergo est, qui se hîc, suaque, non describi miretur, sibi imputet, & futuro Auctario, & miraculorum appendici nomen, & tempus gratiæ receptæ, coram ijs, quibus curæ id futurum est, Custodibus Arenensis Matris, licet serò, seriò tamẽ manifestet. Vos verò, qui tantæ Virginis sentitis opera, quiuè adhuc mortalitatis animamini puluere, cæteros exemplo vestri accendite, & reaccendite. Magnum enim gratitudinis argumentum est, Fontem à quo receperis gratiam, cæteris demonstrare. Fontem enim habemus, & adiutorium simile nobis, cuius vna lacryma, prex, aut intercesio, multas potens est delere culpas. Priores misericordiæ, posterioribus superantur, *Ruth: 3.* Et post nostra Fata victurus Orbis, in Matris misericordiæ triumfabit beneficijs. Dicamus ergo Virgini, & scribamus, Petri Damiani verba; *Sermon: 1. Audi nos ô Virgo, nam Filius tuus, nihil negans honorat Te.* Sed fallor, an Samsonis Veri Mater, respondet scribenti-

bus. Quid illud? *Ego loquar pro vobis Regi. 3. Regum 2.* Loquere Domina loquere, ſentiant omnes, Tuum iuuamen.

Anno Gratiæ 1611.

REmanſerat incerti temporis Tabella, à qua duximus auſpicandam hanc alteram Miraculorum Partem. Nomen enim continet, & gratiæ Virginis, in Violeto noſtro quæſitæ, & inuentæ, argumentum. Obſeruationem poſterorum, pietatis ſtudia merentur; præſertim cum ſint, tabellarum teſtimonijs votiuis conſignata. Ibat è Polonia in exteras Nationes peregrinatum Albertus Wciſſowic, ac mox è Patauino celeberrimo Gymnaſio, refluus per Belgium, redibat in Poloniam. Cum ſubitò inopinum, & nihil tale metuentem inuadunt Cholici, ijquè acerbi dolores, conuulſioneſquè ſtomachi, interiorum naturæ organorum inſolitæ; tentata morbis ſanitas, & periclitata. Sed ab illa vi, maloque, Tutelâ, præſidioque Virginis, ſtetit inuictus, qui victas iam propè, vt ipſe manu propriâ teſtatur, morti dederat manûs.

Anno

Anno Gratiæ 1613.

SEd & alterũ, Tabellæ argenteæ, præſentant Tibi Virgo teſtimonium. Quarum ingens aceruus, Tuum prædicat Patrocinium, Tuas opes, Te exilij noſtri ſolamen; Te Reginam, & medelam inopum conſilij Chriſtianorum. Graui detinebatur morbo Chriſtophorus Wapowſki, & ab expeditionibus Moſchouiticis, ægrum fouebat medicinis Corpus. Quid ageret? in Virginis opem, humano conſilio deſtitutus, re. flectit oculos, & communem requirit prementi acrius, & inſtanti malo, ſanitatis medelam. Quam ſuſpexit Stellam, propitiam habuit, & inuenit. Sanatum ſe videt, & gratum ad Aras exhibet voto ſoluto Arenenſes. Applaudo Virgini, cum D. Bonauentura in ſpeculo Virgin: *cap: 8. Quis eſt ſuper quem Sol non luceat? quis eſt ſuper quem Miſericordia* MARIÆ *non reſplendeat?*

Anno Gratiæ 1614.

PErſimile beneficium obtentum, Tabella ad Aras Virginis appenſa refert, & præfert. Eſt illa Melchioris Michałowſki, qui grauibus implicitus morbis, dum vouet Virgini, Symbolum gratitudinis, compos fit; & gratiam rece-

ptam, hoc anno agnoſcit. Nam noſtra Diua (*vt cum S. Bernardo loquar, in ſermone de verbis Apocalip: Sign: Mag:) Omnibus ſe exorabilem, omnibus præbet ſe clementiſſimam, omnium deniquè neceſſitates, ampliſſimo quodam miſeretur affectu.*

Eodem anno 26. Auguſti.

COnnecto & aliud, vt agnoſcas, multos è deſtinatis malo, ſuam Virgini debere acceptam ſalutem. Decumbebat grauiſſimo, eoq; lethali preſſus morbo, Per Illuſtris & A. R. Dominus piæ memoriæ, Petrus Skidzinſki, Canon: Cracouien: Archidiaconus Zauichoſtenſis. Ergo non iam biuio, ſed in auio vitæ conſtitutus, Officij Chriſtiani partes agit; & ad Virginem, mentem afflictam dirigit, cuius tot, & tantas Gratias inaudierat. Mirum ſcriptu, & lectu! Siluit morbus, ſibique integrè redditur, compos voti, ac deſiderij, æger ille Prælatus. Quid enim negaret ſuæ Matri Filius? Et Matri non voce duntaxat, ſed re. Audio hic Vincentium Lirinen: in lib: aduerſus Hæres: *cap: 21.* Virgo, inquit, veriſſimè eſt ΤΕΟΤΟΚΟΣ confitēda, ſed non eo modo, quo impia quædam Hæreſis ſuſpicatur, quæ aſſerit, eā DEI Matrē ſolâ appellatione dicendam, quæ eum peperit hominem,

qui

qui posteafactus est DEVS. Sed ideo, quoniam iam in eius sacrato vtero, Sacrosanctum illud Mysterium perpetratū est, quod propter singularem quandam, atque vnicam Personæ vnitatem; Sicut Verbum in Carne Caro, ita homo in DEO, DEVS est. Concludo fulmine, Cyrilli ex Apologetico desumpto: *Si quis Emmanuelem non confitetur esse verum* DEVM *(audite Ariani) & propterea Dei Genitricem S. Virginem, (peperit enim secundum carnem factum Dei Verbum. secundum quod scriptum est:* ET VERBVM CARO FACTVM EST, *) Anathema sit.*

Anno eodem 10. *Iulij.*

VNiforme filum, Gratiarum descripsi hactenus, & è morbis curatis, & sanatis tracta materies. Ne igitur, eadem semper inculcare legenti videamur, ad alia genera miseriarum descendamus. Ad oculorum inquā acerbam sortem, ad orbitatem luminum curatam, & abactā, per luminum Matrem. Erat Vir censu, & virtute Nobilis, Adamus Chroslicki, è municipio Regni Radomiensi, Sendomiriensis Palatinatûs, Bellatorum, vel ipso testimonio Stephani Bathorei feracissimo; septem annis illigauerat oculos, & tenebat cæcitas, & nihil humanæ perficiebant Curæ. Nullum propè inter diem &

noctem erat discrimen. Quò se verteret à tenebris, & vmbra mortis? Ad Stellam, ad MARIAM: Ad eiusque Matrem, qui lucem habitat inaccessibilem. Grauior vrgebat apprehensio amissi, quod degustauerat, ante Septenniũ boni. Et quia suis non poterat regi, alienis regitur oculis & pedibus, & ad Aras Arenenses, in Violetum Ter Opt: Max: Matris adducitur. Solas igitur, quæ ex vsu oculorum restabant, aduocat lacrymas, & soluit intacitas preces, coniungit & vota, pangitque fædus, cum oculis suis. Redit in officia læsus Sensus, & quam expertus est propitiam, & solâ aure cognitam, iam aspicit, videt, adorat. Viderunt & qui aderant homines, ingentiquè vi Diuinâ & Virginis stupuêre. Atque ita, qui aliena ope venerat, propriæ redditus functioni, ad propria sanus & incolumis remeat: totumque municipium, & viciniã, Gratiæ Diuinæ & Pharthenicæ prædicatione complet. *Quæramus Gratiam (Bernardi ore mellito loquor) & per* MARIAM *quæramus, quia quod quærit inuenit, & frustrari non potest.* Exaudiet ipsa pro sua Clementia; Exaudietur & ipsa pro sua Reuerentia; Exaudiet vtique Matrem Filius, & exaudiet Filiũ

Pa-

Pater. Quid enim? poteſtnè Filius aut repellere, aut ſuſtinere repulſam, non audire, aut non audiri Filius poteſt? neutrum plane. *Inueniſti, (ait Angelus) Gratiam apud* DEVM.

Anno Gratiæ 1616. *IV. Calen: Auguſti.*

IVngamus Prælatum Prælato, Per Illuſtrem & Admodùm Reuerendum Dominum, Andream, nimirum piæ memoriæ Baranowſki, Præpoſitum Louicien: Canon: Gneſnen: Cracouien: &c. quem ante obitum Fama & virtus inclytum reddiderant. Erat is Magni illius Gneſnenſis Archiepiſcòpi, ex Fratre Nepos; morbo igitur atroci ſuperueniente, Medicorũ decretorio calculo, iuſſus domui diſponere, certis ex morbi, mortiſque inſtantis, indicijs. Sed ille præſtitæ, præterito anno Gratiæ, Petri Skidzinſki non immemor, DEVM, & Diuam Arenenſèm rogat, votumque vouet, ac reuouet. Ac ab ipſo voto valeſcit, & intra paucos dies ſanitatẽ recipit, & vires. Gratus memoriæ & Miraculi, effigiem ante Aras appendit. Accino Virgini elogium, è Diui Bernardi ſermone, de Natiuit: *Redempturus, inquit ille, humanum Genus, pretium Vniuerſum contulit in* MARIAM. Altiùs

ergo intueamini, quanto deuotionis affectu, Eã à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem, posuit in MARIA; vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab Ea nouerimus redundare, Quæ ascēdit delicijs affluens. Hortus planè deliciarum, quem non modo afflauerit veniens, sed & perflauerit superueniens, Auster ille Diuinus; vt vndique fluãt, & effluant aromata eius, Charismata scilicet Gratiarum. Tolle Corpus hoc solare, quod illuminat Mundum, vbi dies? Tolle Mariam, hanc maris Stellam, maris vtique magni, & spatiosi, quid nisi caligo inuoluens, & densissimæ tenebræ relinquuntur, & vmbra mortis?

Anno Gratiæ 1617.

AB Illustrissima Theophila, Ducissa in Ostrog, Ianussij Castellani Cracouiensis Consorte, impetratam, & concessam Diuinitùs Prolem, hoc anno Argento expressum, & appensum Aris Arenensibus, testatur Anathema. Ab ingentibus opibus, expectabantur successores. Et Parentum voto Hæres, humanis remedijs frustra quæsitus, è Diuinâ quæritur, ac Virginis ope. Et ne Virgo ardentioribus deesset

set suspirijs; impetrauit à Nato, afflictæ Genitrici natum, qui acerbum Parentum dolorem, lentiùs sedaret. Sed non diu flosculus ille, incoluit terras; & consultiùs DEO visum, hæredem Cœlo instituere, ex sanguine Ducissæ. Habet enim illa, & nunc ante DEVM, innocentiâ inclytum infantem, deprecatorem. At inquies forsan? cur, quem dederat, non conseruauit incolumem? Iudiciorum DEI illa Crisis est. Et ego manûs hinc dimoueo, ne altiora me inquiram. sed potius Mirabilium Effectrici subscribam, verbis Germani Constant: Episcopi, ex oratione de Deipara: *Quemadmodùm inquit continua respiratio, non solùm est signum vitæ, sed etiam causa: sic Sanctissimum* MARIÆ *Nomen, quod in* DEI *seruorum ore assiduò versatur, simul argumentum est; quòd verâ vitâ viuant, simul etiam hanc vitam ipsam efficit, & conseruat; omnemque eis lætitiam, & opem ad omnia impertitur.*

Anno Gratiæ 1622.

SOlius Diuinæ prouidētiæ est, gressûs hominis numerare; & dinumerare periculiq; alieni esse vidētē nonitē mortalium; quos innumeri casûs præeunt, comitātur, sequūtur. Nemo scit, quid crastinū vehat mane, serusuè vesper. Mulier, nomē enim non expressit, altis decidua gradi-

bus, dum Virginem Arenensem inuocat, Colli, & ossifragium euasit, hoc anno. Adeste, adeste periclitantes de salute; & vt in subitis periculis Virgo occurrat, & succurrat, familiarem eius vobis facite præsentiam, ac memoriam. Os ex ossibus nostris est, & non mederi nostris necessitatibus non potest. *Regina Cælorum est*, (subscribo D. Bernardi melliti verbis) *Misericors est, denique Mater est, Vnigeniti Filij* DEI. *Nihil enim sic potest, potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare, nisi fortè aut non creditur,* DEI *Filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest, omnino in affectum Charitatis, transisse* MARIÆ *Viscera, in quibus ipsa, quæ ex* DEO *est Charitas, nouem mensibus requieuit.*

Anno gratiæ 1623.

ETiam ad Iura, & subsellia Iudicum, rigidiora penetrat Virgo; & ad se confugiententes, periculo eripit imminenti. Erat quidã, (cuius nomini consultò parco,) qui decretorio Iudicum Calculo, ad diminutionem capitis fuit condemnatus. Instabat menti Carnifex, & dura sententia premebat, nec sinebat esse suam, nempè liberam. Angitur, & inter metûs ad Miserorum recurrit Metam, & Scopum afflictorũ. Libertatem petit, & noxas, quæ illum periculo tàm graui induerunt detestatus; Vouet Are-
nensi

nensi Diuæ, vitæ Metamorphosim, & Gratitudinis ergò, argenteum vouit testem, & liber factus, reddidit. Subiungo cum Diuo Bernardo in Canticum, Salue Regina: *Data est* MARIÆ *potestas, in Cælo & in terra, & in manibus eius vita, & spiritus nostri, oculi omnium Christianorum in eam sperant, & ipsa dat eis escam Gratiæ, in tempore opportuno.*

Anno Gratiæ 1624.

Sed altiùs assurgendum calame, & ipsa mortis perrumpenda claustra. Ad Triumphos Virginis pergo, & memorabile cum morte certamen; Valeriani Tileuicij vitam, pueri Triennis è Clepardia, honestis Gaspare Tileuicio, & Heduige Parentibus oriundi, imus Virgini consecratum. Erat is, in continuam delapsus Febrim, & ardentissimi calores; & dolores, qui sensìm ademerunt vsum cibi, & potûs: ad decimum diem, effecerunt vtriusque abstinentem. Vnde iam triplici petitus, & vexatus malo, decimâ ab inedia die conficitur, moriturque. Nulla iam signa vitæ, sed quæ comitantur cadauera, pallor, macies, rigor, frigus, & neruos, ac ossa, de occupans ferale gelu. Mater, quam mors afflixerat nati, propè cæpit de vitâ laborare, & in muliebres quæstûs, ac eiula-

tûs ſoluta, doloribus totam complet domum. Adhibent amici, viciniique ſolatia, & ne ſolito deſint officio, itur ad campanas, & datur ſignum Chriſtianis auribus, mortuum eſſe Valerianũ. At Mater quam cæteris grauior, vrgebat dolor, in varios rapitur affectûs, & nunc mæroris, nunc ſpei, nunc amoris nati impatiens, illapſo in aures mæſtiſsimo campanarum ſonitu, procuba terræ in faciem, adorat, & inuocat Diuinam, ac Virgininis Opem, & Manum; inde iunctæ & adiunctæ Cælo, contra mortis virus, vires. Adſunt incogniti Carmelitæ duo Patres, nunquã ante hac, & poſt, Cracouiæ viſi, cognitiuè; qui proſtratâ adhuc in terris pueri Genitrice, durãteq; ſtrepitu campanarum, mæſtos Parentum animos, ſubitò erigunt, lætitiæ nuntio: & vix ianuam ingreſsi, puerum viuere nuntiant & dicunt. Non credere Parentes. Sed illa, cui in res hominum, ac vitam poteſtas, & Imperium, litem animorum diremit; puero, & ſano & valenti reddito Genitori, Matrique: diſparentibus boni, & fauſti nuntij, Angeliſnè dicam, an Carmelitis? Res fide totius viciniæ & Clepardiæ ſtetit; & puer & nunc viget, viuitque decimum

mum quartum ætatis, dum hæc ſcribimus, agens annum. Sed & viuit, cuius hæc ex ore audijmus Genitor. Leges igitur, & Iura mortis in manibus Matris, DEvs depoſuit, è cuius ipſe puriſſimis ſanguinibus, Caro fieri voluit, qui fuit ab æterno, Verbum DEvs. Quin igitur applaudo, Triumphanti, de morte Valeriani Virgini, & ſcribo cum S. Germano, Conſtantinopol: Archiepiſcopo, ſerm: de Zona Virginis. *Omnia tua ſunt admirabilia ô Deipara! omnia ingentia, & cunctorum vires ſuperantia!* Sileant igitur Horti Aromatum, Herbæque; in Violeto Noſtræ Matris ipſa creſcit, & floret mortalium vita. At Tu Diuæ Imago, ſeu Imitago, quæ nobis Archetypum illud Diuinæ Gloriæ repræſentas domicilium, Exemplarq; es in animam, animati Altaris, in quo neceſsitatum noſtrarum arcana, voluit DEvs ſignari, & conſignari. Liber inquam, quem Hæreticus oculus non penetrat, ſignatus enim eſt. Sapientum huius mundi latet oculos, effugit ſenſum, patet credentibus, & ſperantibus paruulis. An non Liber ille, *De quo Jſaias cap: 19. Erit vobis viſio, ſicut verba Libri ſignati, quem cum dederint ſcienti literas, dicent: lege iſtum, & reſpondebit: non poſſum, ſignatus eſt. enim* (En clauſum librum

 ſcru-

ſcrutatoribus Maieſtatis.) *Et dabitur liber neſcienti literas* (Hæretico, verè enim hi literas has ignorant) *diceturque ei lege, & reſpondebit: Neſcio literas.*

Anno Gratiæ 1625. 8. Iunij Hora 23. poſt Completorium.

ET hîc iterum ad mortuos, mortemquè. Deuocauit Diuam, eiuſqueCœleſtem, ac Diuinam manum, ſerius & interior ille Catholicus cultus, Spe & Fide dimanans, ad puellæ cuiuſdam ferendam opem. Oſſe gutture hærente, per duas horas, & reſpirandi facultatem præripiente, ea ſuffocata fuerat, & abſque vita. Acuit inſperatum malum, Matris ſpem, & dolores, & videns ſibi eripi ſuos amores, deliciaſque, licet extra ſigna vitalia, victuram credit per Virginē, & illi commendat enixiùs, à Qua non dubitat ſe beneficiū conſecuturā. Sed vbi domi nil proficit, pleniore fiduciâ arripuit Infantis Cadauer, Leænæ inſtar, Catuli rapti dolore impatiētioris, ad Diuā Arenenſem, cuius tùm Viſitātis agebatur Feſtum, plena eiulatu, & lacrymis, crinibus ſparſis, & ſolutis. Meminiſſe enim decoris, dolor non ſinit, abſque palliolo conſueto accurrit, & per turbas frequentiſſimas ruit, & locum ſibi dari cum Filia, à Virgine mox ſuſcitanda petit,

&ante

&ante Aras Virginis, in Sacellum irrumpit ac ſindone euolutum infantis emortui Cadauer, proicit in Aras, inclamans præſentibus qui aderant: Redde mihi infantem Domina. Redde Matri filiam DEI Mater. Vltima completa fuerat Diuini Officij hora; & Litaniæ à Fratribus Carmelitis, canebantur in Templo, & ad hos currit canentes, & vt Filiæ vitam impetrent à Diua, ardentiùs & cum lacrymis obteſtatur. Mira, & memorabilis poſteritati res, mortua pula viuit! Ac primæ vitæ indicio, fuêre lacrymæ, deinde è tuſsiente puellâ, os ſanguini concretum, Virginis ope, ex ore animatæ Virgunculæ, quo ſpectatoribus magis pateret, Diuinum brachium, euoluitur. Soluuntur luctùs in gaudia, & plebs deuotior, videns ſuæ Diuæ, quam circumſtabat Triumphos, non tenuit teſtes pietatis lacrymas. Aderant miraculo præſentes, Illuſtriſſima Domini de Lubomirz, Woynicen: Caſtellani de Ruſca ſuperſtes Conſors, alijque plurimi, quorum viuentium teſtimonio, fides huius miraculi, paſsim & nunc comprobatur. Quis in huius Diuæ fauoribus, imbrem contineat pietatis, gaudij indicem, & pij in Virginem

affectûs, ex oculis stillantem? & non dicat: *Beatam Te dicent, omnes generationes, ô Gloria, Lætitia, & Honorificentia populi nostri! Quia fecit Tibi magna, & facit per Te magna, qui potens est. Verè vtique magna.* (vt Euseb: Emissen: ait) *& tàm magna, quàm nulli alij & fecit, & facturus est. Ex ea Carnem suscepit, & Cœli terræque Dominam & Reginam eam fecit. Fecit Tibi magna, vt nimirum Creatura ederes Creatorem, Famula Dominum generares, vt per Te mundum* DEVS *redimeret, per Te illuminaret, per Te ad vitam reuocaret. Debet enim Tibi, & quia debet, nihil petenti qui potens est, potest denegare. Tu enim,* (verbis Methodij in Hipant. Domini loquor) *Tu* DEO *alioquin nullius rei indigo, Carnē, quamnon habebat, dedisti, vt hac ratione Omnipotens, id quod esse dignatus est Homo videlicet, verè appareret. Quid hoc illustrius? quid hoc sublimius? Qui cælum & terram implet, cuius præterea sunt omnia; quæcunquè mouentur, atque subsistunt, Is Tui factus est indigus. Tu enim admirabilem Incarnationem, quam aliquando non habuit* DEO *mutuam dedisti. Tu potentem illum corpore, tanquam decenti quâdam panopliâ, induisti, per quam quidem facilè à me caperetur, & cerneretur. Euge euge Mater* DEI, *& Ancilla! Euge euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuò dat!* DEO *namquè vniuersi debemus, Tibi verò ille debet.*

Anno eodem.

DEuenimus tandem, ad vberem Gratiarũ Fontem. Plura enim hoc anno legimus, & collegimus diligentiùs consignata, eaq; non contemnenda miracula. Exarserat pestis, toto Regno, antecedentibus annis, & vnâ cum ditioribꝰ, & pauperiores inuoluerat Ciuitates & pagos

gos. Tetigerat id malũ quoquè villã, Piekło dictã, & in ea Albertũ Pużytko, è cuius argenteo voto, Aris appenso, id periculũ didicimus. Cadenti viciniâ, & mortis vndiquè oberrantibus Imaginibus, totus fertur in Diuæ Violas, & Arenas, & salutare quærit præsidium, ac sospitatricẽ Generis Humani, medelæ & curæ, (procul à Mithridatico, & si quæ potest crescere in hortis) opem inuocat. Adest vocata, & inuocata Parens, & Natum adorans exorat, vt medeatur; vt quam quæsierat salutem, in nomine & ope sua, & illius, inueniat. Quid denegaret Matri Filius? huic cum multis alijs, sanitatem impertitur; & donat. Quam putas hanc? quia mors & morbi, & ipsa pestis, obediunt ei. Sed & plurima alia, auro, argentoquè fabrefacta anathemata, pestis testantur auersionem, conuersis ad Diuam, qui seriò implorauerãt, periculi Adstitem. Sed nominum, & loci, ac temporum destituta circumstantijs, alij seruauimus tempori, donec qui appenderunt, agnoscant, & recognoscant. Non dubitet nostra mortalitas, & in sequioribus, Patriæ periculis, qui hæc legunt, ad Virginem accurrant, & recurrant. *Securum enim* (vt inquit

Bernardus) *habemus accessum ad* DEVM *vbi Mater, ante Filium, & Filius ante Patrem; Mater ostendit Filio pectus, & vbera; Filius Patri Latus & Vulnera: & quomodo poterit ibi vlla esse repulsa, vbi tot sunt Charitatis insignia?*

Anno eodem.

SEnsit Beneficæ Parentis, & Fæcundæ Gratiarum Matris, hoc anno beneficium, Ioannes Bobrowski. Atrox premebat morbus, & graue minabatur, mortiferumque periculum. Acti in consilia Medici, & tentata Apothecis sanitas. Sed vbi nil profectum, & effectum, ad Violetū recurritur ab inope, mortalium Opis, & Diuæ sanitas, refertur accepta, argenteæ tabellæ ad Aras Arenenses appensæ testimonio. Addo Elogium, Ruperti ore natum, & enatum, verbis in Cant: *Nos, & qui venturi sunt post nos, lætabimur in Te & cantabimus dicentes: Quia Eua nos plorare,* MARIA *in necessitatibus nostris fecit exultare.*

Anno eodem.

COncludo hunc annum, alio insigni, de vi, ac virtute Virginis, testimonio, è tabella argentea appensa petito. Quidam, (nomen enim non prodidit) videbat, & audiebat, se rapi ad mortem, ipso D. Martino consecrato die. Et non fas erat à periculo retrahere pedem,

Gran-

Grandinabant sclopetis, emissi lethales globi, & magnus sagittarũ effusus imminebat imber. Petebatur & ipse propè omniũ vnus, vna meta erat & vnus scopus, sed quæ cogitationem iniecerat, vt ad se recurreret: animos addidit, Diua, & seriò ad se, & in se ruentẽ, votis ac precibus, & ad ignis sulphurati, nitratiquè, aspectũ pallescentem, periculo manifesto eximit, & subducit. Sed qui in hoc vno, multiplex malum euaserat, propè succubuit (vt plena sunt omnia, mortalium casibus) alteri. Aeris grassante in Polonia lue, passim erant non solùm infectæ domûs, sed & integræ Ciuitates. Cauebat ille à malo, sed quantò magìs, tantò proficebat minùs; effugit enim diligentiam, omne periculum cum instat. Et ferè timidiores, aggreditur Pestis audaciùs, diligentioresquè. Ergo quod minimè speraret, accedit duas infectas domos fortuitò, duplicique defungitur periculo, in priore enim amicus, qui iam fædâ laborauerat lue, salutationis, ac colloquij hospitalis excipit officio. Et ne subsequens deinde terror, deesset terrori, cum altero infectorum comedit, & vnâ eãdemque mensâ fruuntur, vno & cibo & potu, idquè

 com-

munibus dapium, & potûs vtriq; instrumentis. Vtrumque deinde, & qui salutauerat, & conuiuam post triduum, eripuit consortio mortaliũ, pestilentiæ morbus. Et hunc nostrum propè confecisset, & tertium timor, & conceptus ex casu eorum, quibus conuixerat; ater & cholicus humor. Hærebat interea, iam sui, vitæquè dubius, donec euicit opportuna cogitatio, vt suã, & aliorum euinceret, voto apud Diuam Arenẽsem salutem. Vouit, & sibi locoq;, vbi hæc acta sunt, (nomen autem non prodit tabella) impetrat à Diua integritatem. Ita, prorsùs nil cõmune morti, ac Pestilentiæ, cum viuentium Matre, Genitricequè vitæ. Ad hoc igitur vitale Sydus recurrite, quos premit necessitas, obruunt pericula, ac Bernardum audite: *O quisquis te intelligis, in huius sæculi profluuio, magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius Syderis, si non vis obrui procellis.*

Anno Gratiæ 1630.

REgina Horologificis vxor, graui eoq; lethali decubuerat morbo, inuaserat violenter, tenebat constanter, & iam propè conficiebat & ad vltimas lineas fati admouerat, extra humana positam præsidia & auxilia; immò &

con-

continua dierum septem inedia, linguæ, & sensuum impotē prorsùs effecerat. Sciuerat Diuā Arenensem, multis esse curæ, medelæq; insignē, totâ Vrbe Cracouiensi beneficijs, & velut populicæ miseriæ Asylum. Ad huius ergo Aras confugit, & mente, quoniam linguâ non poterat, Adiutricem supplex recogitat & adit. At Virgo, quæ vbiquè se Propitiā, & Faustam, in mortalium malis exhibet, & rectos, & sine cera ac fuco, animos allisos; tristioris sortis vi, erigit auxiliatrice Nati, suâq; dexterâ; non auxilio solùm, sed & præsentiâ adest. Videt igitur MARIAM tali corā effigie, quali in Arenensi colitur Violeto, & sacello. Et quasi manu Diuæ, sensìm sentit cordis pertentari sedē, sanitatemquè illicò consequi solidam, Virgine disparēte. Vbi igitur reuiguit, plenèq; reualuit, vota, quæ animo conceperat, præsens ante Aras, posito sanitatis consecutæ symbolo, appendit. Et dum hæc scribimus, incolumis & integra ab inde viuit. Atquè & hìc Bernarde, verum erit quod dixisti, super Missus est: *Nihil nos habere* DEVS *voluit, quod per* MARIÆ *manûs non transiret.*

Anno eodem.

COnnecto & aliud, Hominis magni, beneficijs vt ipse fatetur obstricti, Andreæ nimirum Lesiowski. Hic Hæresi eiuratâ, inciderat in atrocem morbum, & vt liquebat iudicio Medicorum lethalem, vno & medio anno premebat, nec dimittebat noxia affectio. Desijt & lingua suo fungi officio, cæterique sensûs mortem viciniorem testari. Adhibita & vnctio Catholico ritu, absq; recipientis propè sensu. Et ecce vbi ad Virginem recurrit, sanum se stupuit, & sensit, gratusquè ac memor beneficij superuixit. Iterum claudo tuis, mellitis verbis Bernarde, quibus suades ad Virginem currendũ, & recurrendum: *In periculis, in angustijs, in rebus dubijs* MARIAM *cogita,* MARIAM *inuoca; non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplũ. Ipsam sequens non deuias, Ipsam rogans non desperas, Ipsam cogitans non erras, Ipsâ tenente non corruis, Ipsâ protegente non metuis, Ipsâ duce non fatigaris, Ipsâ propitiâ perennas; & sic in temetipso experiris quàm meritò dictũ sit, & Nomen V.* MARIA.

Anno Gratiæ 1631.

AD alia iterum miracula, ad alia inquam, Diuæ enim Amor, & Honor vocant. Gratias sequitur calamus & miratur, & Fontem quo defluunt, adorat. Mala imò pessima valetudo

Cathe-

Catherinã Szydłowska tenuit, & habuit, morb9 ardentior coniecit in extrema, & animã, suâ depulsurus statione, etiam & loquendi ademerat facultatem. Excepit ita affectã, morbus Caducus, & duos per dies integros, miserè diuexauit, ita vt de eius sanitate conclamarent Medici; & ne deesset calamitas calamitati, eorundem iudicio, soluta tandem in paralysim ægra. Et mox propè cum morte in luctam, & in propinquioris saugninis luctûs; qui ne remedijs deessent Diuinis, ad Diuæ Arenensis recurrunt manum, & implorant, & vsq;, & vsquè Opem, quæ nemini qui recurrit fidentiùs denegata. Aperuit sinũ misericordiæ, Clementissima, necessitatum nostrarum Patrona, & à voto facto, secundâ die loqui primùm fecit, dein & valere; ac cum admiratione omnium vigere, & viuere. Ita Natus fertur in Matris merita, & nihil poscenti denegat: quia Mater petit. In merita inquam, quæ qualia fuerint audi, de Diua D. Gregorium in lib: I. Regum. *An non sublimis* MARIA, *quæ vt ad Conceptionem Æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem, suprà omnes Angelorum Choros, vsquè ad solium Deitatis erexit.*

Anno eodem.

CHriſtophori Calixti puellus, cruſtâ panis, nucis magnitudine ſuffocatus, & incluſo ſpiritu emortuus, vnâ integrâ horâ inter Parentum ſuſpiria, & lacrymas, Matre etiam in deliquium animi, ad terram prolapsâ, propè & Genitricis indolentis, fato rapuerat vitam. Inclamat ipſe Matrem, & Adiutricem Orphanorum, & Patrem teſtantur gemitûs, & penè obliuio ſui. Dum igitur conſorte ferè emortuâ, vnicam Diuam Arenenſem, & Stellam illam reſpicit, dum quatit gemitibus Cœlum, & implet; & ecce parietem aſpicit, & effigie Arenenſi, Cœlorum, terrarumq; Imperatricem, ſereno ſuis precibus ârridere vultu, quaſi excepturam vota. Miratur & procidit adoratquè, & ſubito caſui, ſubitũ additum & redditum, per Virginem medium, & remedium. Reuixit infans, & ſolutæ in lætitiam lacrymæ Parentum. O verè Te Diuam, de cuius plenitudine gratiæ, nos omnes accipimus, quæ inter Virginis & Matris Titulos, ſolatio es, & remedio noſtræ neceſſitati opportuno. *Talibus Te decebat* (vt cum Soprhonio dicam, ſermon: de Aſsumption:) *oppignorari muneribus, vt eſſes*


esses gratiâ plena, quæ dedisti cælis Gloriam, terris DEVM, *verè mihi Iu, & sicubi hîc Stella illa Iacob, & Cæli.* Diue Bonauentura; quod dico, illustra tuo illo aureo in Luc: 1. sensu: *Designata fuit per illam, cui Dominus erat innixus, & Angeli per illam ascendebant, & descendebant. Non est hîc aliud, nisi Domus* DEI, *& Porta Cœli: quia nullus iam potest Cœlum intrare, nisi per* MARIAM *transeat, tanquam pèr Portam; sicut enim ad nos* DEVS *venit per Ipsam, ita per Ipsam nos oportet redire ad* DEVM.. *Non ergo discedamus ab ea, sed eius pedibus prouoluti, semper eam salutemus.*

Anno Gratiæ 1632.

AD leuiora nè calame? Quamuis nulla Gratia Virginis, etiam in minimis non magna. Quid ita? Magnus non solùm in magnis, sed etiam in paruis DEVS. Et qui ingentem stupeo, & admiror Elephanta: idem & in exiguo formiculæ, & Apiculæ corpore; ingentem Creatoris agnosco manum. Sed ad rem ipsam. Malus & inopinatus hospes ignis, adiacentem suburbio Clepardiensi, Episcopi Cracouiensis vicũ: qui & ab Episcopi Nomine Biskupie vulgari idiomate dictus; totum, & insperatè agebat in cineres. Augebat ignes, & calor áèris, & qui vehementior flammas concitabat ventus: vxor ergo supramemorati Ciuis, qui ibi suam tunc habebat mansionem, videt omnia sua in flam-

mas rapi, nequè ſpem vllam elibrandæ, quæ latebat pecuniæ ſupereſſe; erant autem (ne mirere Diues, cuius multi premunt ciſtam Theſauri) Rhenenſes decem, ijque conſepulti ſtramini, quod flammam & alere natum, & non potens fallere, & eludere. Offert illa ſuam ſubſtantiolam Virgini Arenenſi, & partum paratumquè honeſtè, ſudore, labore Chriſtiano, & moribus antiquis. Solutus integer vicus in fauillas, ſequentis diei curas afflictorum, ad inquirenda ſi quæ remanerent bona, pertraxerat. Maritus fide animatus conſortis, procedit in triſte illud, domûs exuſtæ cadauer, & mirum dictu! cum nihil ſupereſſet è flammis reliquum, ipſe lectus, qui pecuniolam occultauerat exuſtus. Et ecce pecunia, quam Diua tegebat, & protegebat; in fruſto, quod ſolùm ſupererat ſtraminis cubitalis, incluſa, ſuo in marſupio, aureo & ſericeo, triumphat in medijs flammis, & vnâ cum ſtramine opes, fidenti reſtituit, (hoc enim erat nomen fæminæ) Zophiæ. Qui vidêre ſtupuêre, & fidei dum hæc ſcribimus, aſſerendæ ſuperuixere. An non hîc ludit in humanis Diuina potentia? Sed & ludit Virgo. Et minima curæ Deo

vt di-

vt dixi. Homines verò quia homines sûnt, minima mirari propê desierunt, quæ licet minora videantur, maiora sunt, & his ipsis, qui nihil præter se, & sua non mirantur: *Vide* (verbis Hugonis de opere trium dierum loquar, & alloquar) *quid magis mireris, dentes Apri, vel tineæ, alas gryphi, vel cynifis caput Equi, vel Locustæ, crura Elephantis vel Culicis, Leonem vel pulicem, Tygridem vel Testudinem?* Addam, Valerianū & Christophorum, filium huius quem describimus viuentem, an substantiolam pauperis inter ignes trium phantem?

Anno eodem.

ERat in vinculis quidam, & hoc ipso tempore, multa congesserat in caput innocentis inuidia, & credulitas, ac Fauor propè oppresserat; ignaro quid ageretur rerum, offert amicus cereum ante Diuæ Aras; & paulò post videt, Custodis carceris manibus, viridi Attâlicâ, confectam culcitram, desuper corpus dormientis poni, Coronâ aureâ intertextam. Vidit, detentor moritur, ille liber viuit, memor ergà Virginem, officij, & gratus beneficij. Nec pluribus. (Tuo loquar Bernarde melle:) *Virgo regia Ipsa est via, per quam Saluator aduenit procedens de ipsius vtero, tanquam Sponsus de thalamo suo. Per Te accessum habea-*

habeamus ad Filium, ô Benedicta Inuentrix Gratiæ, Genitrix vitæ, Mater Salutis, Per Te suscipiat nos, qui, per Te datus est nobis; excuset apud ipsum integritas Tua; culpam nostræ corruptionis, & Humilitas DEO *grata, nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa Charitas Tua, nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum: Fæcunditas gloriosa, fæcunditatem nobis conferat meritorum.*

Anno gratiæ 1633.

FErtilior annus sequitur, nam & septem Pharaonis annis copiæ fluentibus è diuite cornu, intermixti famis alij septem. Messem auspicetur, Catherina Pioronowska, hæc cordis vexata doloribus, Virginem agnouit, & agnoscit Curatricem. Adde & conclude Hieron: *Nihil est virtutis, nihil splendoris, nihil gratiæ, & nihil candoris, quod non resplendeat in Virgine gloriosa.*

Anno eodem.

INtegra ad Te confugit Ciuitas, ô Virgo & Mater Gratiæ, imò Gratiarum! Confugit inquam, quia Tua; quia Tui Stanislai: quem Tibi, & Carmelo addixisti. Hic Tutator & Adstes sibi è Cœlo datæ in terris stationis, ad Virginẽ suã, mouit & promouit ambiendã præhẽsandã Bydgostiã. Grauabãt curæ, & iura importunitatũ innumerabiliũ causa materiesquè: multorum ille fuit gemitus, & fortior; audijt & annuit Diua. Onere exonerati, soluêre quod

pro

promisêre. Num & hîc non Mater Tuis es amatrix, & ornatrix, Fautrixquè orbis necessitatum. Rectè de Te meus mellitus: *Ad Beatam Virginem sicut ad Medicum, sicut ad Arcanum* DEI, *sicut ad negotium sæculorũ respiciunt, & qui in Cœlo sunt, & qui in Terra, & qui in inferno habitant, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascuntur ab illis.*

Anno eodem.

NEctãtur Fidei exercitia, & Gratiarum. Decidit Filiolus, Beneficiorũ Deiparæ non ignaræ Horologificis, quam ante hæc paulò memorauimus, & vbi casui condoluit, & ingemuit Genitrix, mouet enim & efflectit naturam flexanimus Amor, Virginique obtulit, à casu propè exanimem. Nullo indicio periculi viuentem, & valentem è periculo, exhibet Virgo, firmata miraculo fides & lapsu & probauit Diua, se casum rexisse priorem, & fulcisse. Decidit post hæc, & alius loco eodem, mensurâquè quadraginta nimirùm pedum altitudine, casum pati non potuit, & vitam miserè finijt. Docuit vitæ hominum Administratrix, & illius vitam fuisse in sua potestate, & huius mortem. O verè miseriæ nostræ Curatricem, Tutatricẽ! condolet, & congerit in nos beneficia: nimirũ

Regia Virgo est, & diem se putat perdidisse, quo vel gratis, vel ipsis non benefaciat ingratis. Et gaudet se dedisse quod petis, & fecisse quod suspiras. Quidni ad hanc recurras, Cui, quidquid petierit DEVM, non denegabit: quia dilexit multum. *Totam repleuerat Eam Spiritus S. gratiâ,* (loquitur D. Hieronymus) *Totam incenderat Diuinus Amor; ita vt etiam in ea nihil esset mundanum, quod violaret affectum, sed amor continuus, & ebrietas perfusi amoris.*

Anno eodem.

DIscesserat quidam cum Serenissimo in Moschouiã, (non prodidit nomẽ) ibat, & Podlasiensi in tractu, accẽso subito casu hospitio, nullam spondebat securitatem rebus, quas propè occupauerat ignis. Ad Virginem, à Qua salus petita, quæsita, et inuenta. Ignium Triumphatrix Diua est, et ante eius misericordiæ oculos posita, et proposita calamitas, non vacat à beneficio. Non otiantur Diuæ Manûs, & quarum opem desideras, habes, si quæras. Plenam voluntatem Nato exhibe, vigebis, florebis. Addet illa, quas quæris salutes & superaddet; Cui nos verbis Casiani subscribimus: *Tu Patrona humani generis Tu afflictis rebus medica singularis.*

Anno eodem.

SIstunt ad Aras Arenenſes, eodem anno gratitudinis teſtimonium; ſiſtunt inquam Ioannes Gronkowſki, Annaq; Conſors. Moriebatur propè puella, & nullla ſpes aluerat victuram, idq; ipſo Viſitantis Virginis Feſto. Voluit cumulare beneficia beneficijo Virgo, quæ tot iam per tot annos, vidit noſtra ætas. Inſpirat Natus mentem, & idem qui & Verbum Genitrici afflictæ, vt curratur ad Verbi Matrem. Traxit ipſa Feſti Maieſtas, et arma morbi, enata in ægram ſopita. Quis explicet, Marene hoc calamitatum, an reciprocantiũ beneficiorum? multa quatiunt et concutiunt; Tu Genitrix Verbi ſedas. Quia Te, et Natum, Tuis impendis et das. *Merito igitur.* (vt cum meo melle loquar) *in Te reſpiciunt, oculi totius Creaturæ quia in Te, & per Te, benigna manus Omnipotentis, quidquid creauit recreauit.*

Anno eodem.

TRahimur ab anno eodẽ, et eidem includimur circulo, circinoque. Centro enim quò egreſſi ſumus, circumferentiã iungimus, vt eâdem et hîc, ne mouamur includamur. Ex-

 plico

plico gratam et diffuſam in Beneficia Diuæ, mentem cuiuſdam,(nomen et hic tacuit)cuius teſtimonio ſanitatis Iura è caſu puero integra ſtetêre. Exterminandus è finibus Naturæ, fuerat puer quidam,et is additus patroni, cuius gratiæ dedebat, famulitio. In ipſo currûs grauiſſimi curſu, et decurſu, pedem vt conſcendat mouet, labitur; et poſterior tranſit, inopinatum, rota nec lædit. Ad Virginem iuêre vota, et ſaluauêre. Humana ſuperantur pericula, à Diuinis remedijs, & mors ipſa, Diuinæ Virginis monitu, & arbitrio, leges aut ſumit, aut ponit. *Ille ergo ſolus ô Virgo, ô Patrona* (loquitur meo calamo Bernardus) *Beatas Tuas laudes ſileat, qui Te fideliter inuocatam ſenſerit vnquam in ſuis neceſſitatibus ſibi defuiſſe. Et quid mirum, ſi inuocata adeſt, quæ etiam non vocata præſto eſt.*

Anno eodem.

NAturæ mortalis ſubſidia deſcribo,& fæcũdiorem calamum, vberi Gratiarum Fonti, hoc emananti anno admoueo. Diſtantibus proximis, vrbi, ſuburbio, ipſorum Prælatorum ſanitati admota manus. Vbique periculi Victrix, & Triumphatrix Arenenſis Virgo. Ad Prælatũ ergo deuenio iterum, virtute & moribus

bus grauitateq; notissimum, Perillustrem & Adm̄. Rn̄dm̄ Dominum. N. Garlinski S. R. M. S. Tenebat atrox & lethalis morbus, & moribundum adegerat, vt ad singularem & vnicam confugeret Patronam. Adit ille supplicibus votis, Virginem Arenensem, & in communi omnium de spe sui ratione, etiam Habitū Virgini dilectum, se recepturum vouet. Et ne quid impedimento esset solito, promittit mentem, reddere, Cōfessionis ope purgatiorē. At ne frustra ingereret Cœlo, bonæ spei desideria, etiā adiutores, imò expiatores piaculorum aduocat è Carmeli Asseclis, & Diuæ. Additæ votis vires, & pondus non dubium, & inclinati demissiori affectui, qui alta indignantur Cœli. It ille, & adit per Nuntios Cracouiensem Carmelum, vt intentionis piæ, vincula exoluat, & auxilio suam quærit, quam aspirauit & suspirauit Diuam. Adsunt qui subsidium, Virginis nomine adferant, & præmissâ noxarum expiatione, & morti dato Diuino Viatico, vt bonus fortisq; futurus haberetur comprehensor. Ecce tibi, & Nati, & Matris persentit præsentes manûs; & admoto Scapulari, propè arbitratur se compar Orbi toti su-

ſtinere pondus. Mirantur qui adſunt! imò vitæ ſanguiniſquè, ſocij. Vis Cœlo æqualis, & inſtrumenta Diuæ, pectori admota, in extraordinarios motûs auerterant hominem. Et mox ita compoſuerant, vt & ſibi, & Diuæ, & Sacro Canonicorum Collegio, ſanum & valentē ac ad medium poſt anni viuentem, & vigentem redderent, & efficerent. Ad virtutem hanc ergo omnibus veniendum, & currendum; vt & boni habeamur & Virginis, ac Nati eius gratiâ valentes. Quid ni vinceret morbum & peccati illum fædum contaminantem humana corpore effectum, quæ in originis noxa Triumphū egit, cum ſolo Chriſto Sola. Ante ipſius victrix cauſæ, quàm reparet effectus, dum & mortem ipſan viuere facit, & morbos videt, & quidquid ipſa non ſenſit, damnat. Audio, & cum hoc ſcribo poſteritati Auguſtinum, de Natura, & Grat: *Hac Virgine exceptâ, ſi Omnes Sanctos & Sanctas, cum hic viuerent, congregare poßem, & interrogare vtrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſet reſponſum putamus? niſi quod ait Ioannes: ſi diximus, quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus.*

Anno Gratiæ 1634.

Mira, inaudita, ac inſolita, Virginis Metamorphoſis.

It

IT hoc in Anno in admirandã Metamorphosim Diua. It pulchrior Lunâ, & Astris, in insolitas Ecclypses. Eunt in nubem Reginæ Angelorum, & Infantis Diuini, depicti vultûs, agite qui spectatis, forsan fulgura, & fulmina vestris metuitis noxis. Non Fulminatrix, sed Serenatrix est Nubes. Et post hæc Nubila dabitur Orbi Polono Phœbus. Et cuius vultus reuocantur in Castrorum acies, auream germinabunt, vbi solitos Diua resumet colores, Pacem. Sed ego posteritati rem ipsam prout habuit legendam propono, & admirandã; petitam è totius Vrbis Cracouiensis, ac propè innumerabiliũ oculorum, qui viderant testimonio. Idibus ipsis Octobris, eo ipso tempore, quo Serenissimus noster semper Augustus, & victor, pro integritate Rei, & Spei publicæ, vigilantissimè in Campis Podoliẽsibus excubabat, & quo amantiores Patriæ Curæ, in examina militaria tutandæ causa confluxerant Patriæ. Ecce tibi rem miram! Cracouiæ Imago pallescere primùm, deindè sensìm nigrescere, donec vndecimo Kalendas Nouembris, Tota ad instar carbonis, agi in Ecclypsin. Deinde redire sensìm, & ponere

nigrius ſupercilium. Ac tandem quinto Kalē- das Nouembris, iterum nubem illam, & Saturnum ex integro exuere: Iouemq́; ſuo, & Nati vultu reſumere. Ipſo nempe die SS: Simoni & Iudæ conſecrato, tranſit purpura Faciei, in ſepiam; & candicantis Vultûs Virginei Alabaſtrum, degenerat in nigricantia marmora. Sub duobus contrarijs coloribus, ſpectatur Diua, & vterque & Nati, & Virginis, ecclypsātur vultûs. Primùm res tempore ſacrificiorum, quæ ante Aras, fuerunt celebrata Virgineas, oculis Fratrum Virginis, deinde & Pientiorum animorū notata. Inde ſensìm, vbi in plures diffusa nouitas, pertraxit innumeros, qui viderent, ſpectarent, & inter illas admirandas mutationes, horreſcerent. Alij ſuis culpis timere. Alij Omina Regni trahere in dubium. Plurimi in deteriùs, aut melius. Alij Fortunæ & auſpicijs Regis ſubſcribere. Alij tenebras Regni portendere, & Eccleſiæ Clerique oppreſsionem. Et profectò imminebat Synodus, multaquè in Religionem, eiuſq́; neruos proximis ſtatuenda erant Comitijs. Alij mortes ominari inſolitas, prout & ſecutæ Præsulis loci, et Alexandri, Principum.

Alij

Alij stupere, alij in naturam flectere, & causam admirationis, & insolitos effectûs. Adsunt qui scrutentur, murine mutatio, an repercussio circum appensarum Tabellarum? An Colorum ipsorum Naturæ attulerint ecclypsim? Sed vbi constitit, non his principijs inniti miraculi vim; & vocati pictores, quorum penicillo, & coloribus, ex hoc Archetypo, aliæ Deuotiorum in Virginem, gratiâ, trahebantur imagines. Resquè stetit extra aleam, & controuersiam miraculum esse. Ruente vulgo, & iam proximis Ciuitatibus confluentibus, & à triginta, & vltrà milliaribus petentibus, quam ab alijs audierunt fidem miraculi, Motus ille, componi non potuit, quo propè valuæ frangebantur Templi, donec Virgo Nube quâ induerat, exueret vultũ. Vultum inquam Cœlorum delicias, terrarum amorem, Inferni terrorem. Claudo tam sublimi miraculo. Et occasione huius Metamorphosis, Sarmatis meis scribo.

APOSTROPHE.

Vt contra sepulchri Domini, & Carmeli occupatores Turcas arma sumãt datâ occasione

QVid agitis Poloni? Gens electa, & à DEO, per Fata & Oracula in exterminiũ Othomani-

manicæ potentiæ, libertate, qualem Orbis parem non habetarmata. Vobis has vindicias promittunt oracula, ſpondent vaticinia ab Aquilone Aquilis,fore fulminandum,Chriſto inimicum, Turcarum Imperium. Apud quos ipſos in certis effatis eſt, à Polonis euertẽdos. In veſtro enim nomine, quod Polonorum eſt, DEVS Teſſeram Baptiſmi, voluit conſignari. Apud vos Terræ Sanctæ, Eccleſiarum quædã priuilegia, Miechouiæ voluit eſſe depoſita. Apud vos in Polonia, Caluariæ ſub Montanis locis, Hieroſolymitanæ illius, conſignauit veſtigia, vt præ oculis exemplar haberetis, in montibus illis Sanctis,& meditemini Sepulchri glorioſi ereptionem; & quâ delectamini Imagine, ipſius rei paſcamini aſpectu. Tunc accinet veſtris armis Orbis, *Benedictus* DEVS, ô Polonia, *qui docuit manûs tuas ad prælium, & digittos tuos ad bellum.* Audite & reuocate in memoriam, Tarnouij Exercituũ Polonorũ Imperatoris, illud veſtri Axioma: Omnia Polonica Comitia, perpetuã belli Turcici, meditationẽ eſſe debere. Et certè vos Sarmatæ, primi docuiſtis in Orbe, Turcas vinci potuiſſe, dum auſpicijs, Magni nunc Nobis feliciſsimè

Impe-

Imperantis Vladislai IV. Osmanus viuente ad huc Patre Sigismundo Tertio. Osmanus inquam ille, Constantinopolim refluus, & profugus, Orbem præmonuit, vobis hanc palmam, & tunc debitam, adhuc deberi. Sed ante alia auxilia, habuistis & Virginem, quæ à Carmelo, in vestras Arenas descendit. Triumphatricem Lunarum. Ecce & præteriti anni, diebus Octobris, testimonium præbuit, Altissimi Illa Filia, Sponsa, & Mater, Ecclypsi suæ Faciei, & Filij, vestris armis, orientis Lumen, & lucem, Lunarum Othomanicarum, Ecclypsandam. Quid igitur dubitatis hanc mutationem, non casu aliquo, sed causâ vestri contigisse? Lego in hac Facie Triumphos vestros, & Victorias indubitatas. Sed adfuisset velle, vbi adfuit posse. Et quæ Virgo in Myslienicẽsi Imagine, præmiserat lacrymas, arma in Moschos victricia, mouente Vladislao, hæc obscurâ Nube, eripit Coronatrici Orbis Poloni Vrbi, aspectum, & monet; Bellum hoc Filij & suum esse; si sequantur Aquilæ nostræ, se præcedere, si conuolent, se auxilio, & præsidio, præsto esse & fore. Si conentur, non defuturam in vota Regni sui, suam auxi-

liatricem manum, & parata fulmina, in manu Filij, quæ amabilem Domino Caluariæ Montem, & dilectum suum Carmelum, manibus impijs excutient. Vobis Asiæ opes, offert DEVS, Orientis opima spolia Virgo. Quid cunctamini viri fortes? vestras dexteras, elegit DEVS ad noua bella. Discolor iste vultus, & Matri concolor Proles, edocet, euentum; vestra arma, terrori tantũ cõposita, & tutandis Patriæ finibus. Animus vester generosus, perdomando subpar vniuerso Orbi, fecit vos gloriosos, non occasio quæ arrepta, sed neglecta dolet seipsam à vobis esse amissam. Descendente DEO in Montem Sinai, operuit caligo montem, & nubes eripuit aspectũ Domini. Deinde & fulmina Nubibus excussa, & totus mons versus in terrorem, spectantium Iudæorum, Entheat Numen nouis coloribus, Matris & Filii vultum, & quam Nubibus obumbrat, & obarmat: forsan si gladios vibrasses, in Sacrilega Capita Polone, in fulmina iuissent, Matris, & Filii oculi. Sed ego nunc non pluribus. Claudo & subscribo. Prophetico illud, Mosis Oraculo. *Vtinam viderent, & intelligerent ac Nouissima prouiderent.*

CON-



CONTINVATIO MIRACVLORVM.

QVÆ

AD CELEBERRIMAM, IN ARENIS CARMELITICIS VIRGINIS BEATISSIMÆ IMAGINEM,

Ab Anno Christi 1634.

Per consequentes deinceps annos, ex fidei publicæ testimonio haberi, consignariquè potuerunt.

PROPHASIS.

Dicatum ex voto, Magnæ Virgini Calamum, tanto, & tam admirando Operi, diuinitùs fermè destinatum, ex interuallo temporum prosequi; magnæquè mentis ardua, impari passu legere vestigia, dum aggredior: Serum in Arena, & quidem sacra, consilium; quod ex vetustæ decreto sapientiæ, damnaui semper; imprudens ipse capere tandem, dum ausûs me-

 os non

os non capio; confundiquè, quam non præuêneram, calentium iusto rubore genarum, purpurâ cogor. Et consilium quidem, expendendarum tùm demum virium, cùm se iam operi submisêre, serotinum, impar vbique magnis conatibus animi robur, & perpetua luctantis secũ ingenii rixa, ceu plaga sua sequitur: auctæ verò in immensum, ex imbecillitatis propriæ, conscientia; iustissimi ruboris flammæ, calentis nimium, ad imponendã nobilissimo Operi coronidem ingenii, vltrices sunt. Circumspicio nunc tandem, seroquè mecum reputo, quanta hæc & quàm ad summa omnia nati pectoris, in Arenis Virgineis lineamenta, vestigiaquè sunt; quæ cum consequi non liceat, prosequi cur libuit? arguente vel ipso magni incessûs calcaneo; præclara melioris ætatis ingenia, in imitabili ad posteros exemplo præcessisse, quantòquè à nobis remotiora; tantò ad primæuam humanæ conditionis sortem, immortalemquè scribentium vitam, accessisse viciniùs. Ea nimirum, vel in ipso, Illustris olim Viri Francisci Grodzini, Secretar: Regii viuacissimo sanè calamo, spirantis palàm immortalitatis portio est; vt non

operis tantùm sui vitam, quod diu reconditum, nunquam latere potuit; sed ipsas quoq; legentium animas, animare videatur, pietate vbique tam feruenti, eloquentiâ tam virili tersàquè & in Augustissimæ Virginis laudibus, vbiq; tam erectâ; vt spiraculo vitæ, indignum omnino censeas; qui ab hoc eruditæ pietatis fomento, nouo in Virginem Sanctissimam, deuotionis affectu non incalescat. Seruauit sibi ex destinato, cultissimum hunc animum, dextramque in pulcherrimi operis structura, planè Dædaleam, magna sapientiæ Christianæ Parens, & Magistra, vt ab hac, Violetum suuum, in Arenis Carmeliticis, cœlestis topiarii arte inuentum, & in areolas miraculorum incomparabiles, scitè dispositum, in Orbis notitiam lucisq; publicæ faciem transiret. quam illi prærogatiuam singularem, arcana vtique purioris animi suaueolentia, odorquè virtutum optimus consiliauit cum in Violeto Virginis parthenias laborantium manûs & operarios esse deceat innocentes. Quanquam verò, summum Viri ingenium inter angustias breuioris vitæ deprehensum, indolē illam curis immortalibus natam, pro capacita-

 te sua

te ſua, explicare non potuerit; eſt nihilominus, cur felicitati illius, ætas noſtra aſſurgat; quod eo potiſsimùm in opere vitæ, gloriæquè ſuæ cõpendia impleuerit; in quo ipſum, Arenarum potius numeri; quàm victuri nominis ſæcula deficiant. Ceſſauêre multi conſultò, cum ad eam operis in arte ſua excellentiam veniſſent; quia ſe altiùs progredi poſse deſperârunt, profuitquè id eis ad gloriam; quod curſum gloriæ ſtitiſse, impediuiſseq; videbatur, ſed hîc authorem ſuum, expediuit hâc curâ, abſoluitquè, abſoluta in breui vitæ periodus, ceu ſuffeciſset, ad omnem eruditæ victoriæ palmam, tanto in Arena Virginis ingenio deſudaſse; noluiſsetquè Virgo, manum hanc ad alia transferri, quam in tantæ pietatis obſequio, ſibi iam vnicè conſecrâſset. Nec diſsimulauit profectò, quantùm id, ad vſquè cordis ſui delicias profecerit, cum operam hanc, honori ſuo impenſam, variequè cum viciſsitudine, & iniquitate temporum conflictam, ceu miraculorum ſuorum ſignaculũ, ſuper Cor Maternum, ad perpetuas veluti excubias poſuerit: vt Arenarum ſuarum, admirabilem

bilē gloriā, nouo hoc, & sanè insigni exēplo magis magisq; augeret quod inter sacrilegas Suecici furoris, impuræq; Hæreseos manus inter lamētabiles instructissimæ Carmeliticæ Bibliothecæ ruinas, ĩter obrutā planè & cõsepultā scelere hostili, Arenarū memoriā, opusculū hoc in tāto hostilitatis strepitu, curas omnes effugiens, & cū cæteris nobilissimis operib⁹, calamitate publicâ inuolutū, planèq; deploratū; tandē verò, cælitùs veluti custoditū, seruatūq; repētè emerserit, seq; cū celeberrimæ, Imaginis quā hæretica impietas extinctā voluerat, crediderat q; vitâ, & gloriâ viuere, vigereq; probauerit. Veneratione id scripto huic nisi incutiat, singulareq; priuilegiū asserat: humana omnia susq; deq; absq; Diuinæ nutu prouidentiæ ferātur, necesse est: quinimo in pauculis hiscè paginis, miraculorū Virginis gloria, vtramq; vt aiunt paginā, tantò magis impleuit; dum folia hæc, venientis ab Aquilone mali tempestate, nec concuti, nec decidere permittens, ne quidem, contra folium, quod vento rapitur, cõiuratā Hæreseos impietatem valuisse conuincit. Gaudete proinde, vitâ styloq; immortales, Doctissimi Grodzinii

manes, quòd non minùs, pro Sacræ Iconis suæ; quàm pro laboris vestri perennitate, triumphatrix Virgo certauerit; nec prodire illud voluerit, antequã latuisset: gloriosiùs id ducens, Sacræque Imagini suæ, inter laureata hostilitatis rudera triumphanti accomodatiùs; quo constaret genium scripti huius sortemquè, admirandæ Imagini conformẽ, non tàm ab ingenio, quanquam cultissimo; quàm ab arcano potius cœlesti instinctu prodiisse. Atque hæc quidem, nõ sine interno quodam, miræ dulcedinis sensu, commemoranti mihi; subit iterum tantò maior lucubrationis huiusce veneratio, nec iam verecundiæ meæ, manûs, inijcienti prohibentiquè resistendo sum: quòd delicium hoc Virginis, sacrumquè veluti depositum, non purgatâ sacris lustralibus manu attingere; nouoquè miraculorum contextu, prosequi audeam; cui Diuinum aliquid secretiùs adesse quod vulgus arceat, vel ipsa, tanto priuilegio seruati operis maiestas, argumẽto sanè maximo est. Manum ergo de tabula? hoc quidem, modicis ingenij viribus consultissimum; sed pietati inimicum; in qua palmam ingenij quærere,

vel ea

vel eâ desperatâ, ab officio cessare; propè dixerim exquisita impietas est. Egerint licet magna ingenia, quod in ijs, validum animi robur, ad sublimium cogitationum amussim deduxit: non ideò tamen humi serpentibus, via omnis ad obsequium Virginis, intercepta est; cui in paruis etiam summa ex affectu mensura ducitur; nec grādioribus tantùm in hoc sole machinis, sed athomis quoq; & puluisculis versari licet. Hoc enimuerò in Arenis tantò securiùs, in quibus immensa maris gratiarum littora, etiam leuiori Cymbâ legentibus; non difficilis indulgentia, ab indulgentissima omnium Matre; quæ in Arenarum littora pretiosissima quæquè donorũ cælestium, latè dum profundit; quidni paruulos etiam, absq; prohibente, discrimineq; vocet? sinatq; gratos beneficij, expressa in Arenis beneficentiæ suæ vestigia coronare? Hæc mihi de Materno corde Tuo fiducia, ô viscerum misericordiæ plenissima Mater! cuius sacratissimis pedibus dum aduoluor; ad continuandum in Carmelo Tuo, consequentium miraculorum decorem; veniam, & gratiam, vtramque in Arenis non difficilem peto. Veniæ locus hîc,

quidni præcipuo delectu propri, sit? in quo post amissã innocentiã, secunda pœnitẽtiæ tabula nauigantibus, Arenarum portus sanè tutissimus; nec alibi ad Fortunatas Gratiarũ Insulas felicius enatamus; quã vbi nauis institoris de longè portans panẽ, vela sua placidissimè composuit, quieuitq;: vbi Augusta Marianæ gloriæ sedes, erecto post hostilitatẽ splendidissimi operis trophæo magnificẽtior, nõ tam saxis, quã miraculis surgit. Quod si dicendis olim, hoc in loco, admirãdis Tuis ô Virgo, cũ nec dũ triumphato Aquilonari furore, in tantã assurrexissẽt Maiestatẽ, decora non defuêre ingenia; quantò maiori nunc ea, quàm vnquã alias, excitari spiritu decet; cũ omnis illa profana manus, ingẽtiũquè calamitatũ vis, eò tãdẽ reciderit; vt toto illo operosissimæ impietatis apparatu, non aliud exquisitius egisse videretur; quàm vt, noua ex immortalibus manubijs, magnificentiæ Tuæ opera, molesquè Cœlo proximas excitaret. Adspirabis igitur scribenti ô Mater! excitatum illum; quo sacri rudera loci, in nouam vitæ animâsti seriem conformemquè triumphali gloriæ Tuæ Spiritum: nec sines inter trophæa Tua, victricesq; coronas, quid-

quidquam de Te non coronatum ad posteros transmitti; vt sacrilegis spebus suis nimium distenta, turgensquè millies, ac millies rumpatur hæresis; extaquè sua, tantò atrociùs mandens in seipsam furiosa sæuiat; quòd noua in Panegyres Tuas argumẽta scelere suo dederit; nec aliud tantò profuso sanguine, quàmuis in vita, curauerit impensiùs; quàm vt vindices gloriæ Tuæ, in eo intincti scribentium calami; in augusta Orbis Vniuersi posterorũquè facie, cum augustissimis laudibus Tuis, prodirẽt purpurati. Vtinam verò sceleris tandem sui pudeat impudentes! cum Te iam in Throno Arenensis Basilicæ, noua gloriæ purpura ambiat; in quâ Tu, vt Te Reginam Poloniæ probes; ad Sedẽ Regni, amantissimos vultûs Tuos iam olim conuertisti; ab amabili in eam aspectu, ne inflictis quidem, plusquàm tartareâ Hæreticorum manu, vulneribus remota; imò verò immota magis defixaquè: quò constaret, quanti Soliũ hoc Regni Sarmatici faceres; cùm ex antemurali Tuo, turriquè fortitudinis, mille pro eò defendendo clypeos obijciens; nullum quò sasacratissimam faciem Tuam, Cœlo terrisquè

venerandã, ab immani ictu protegeres, superesse voluisti. Hoc enimuerò nisi nos in excessũ stuporis, amorisquè rapiat, indigni planè amoris Tui excessu, ipsâquè feritate hostili immaniores simus, necesse est; quæ cum plagas inflixerit, in viscera non sæuijt: nos in visceribus ipsis, cordisquè Tui medulla conditi, seruatiquè; nisi præ gaudio dulcissimæ recordationis, gratique animi affectu, corde penitùs liquesceremus, nisi quidquid in nobis viscerum est, ad triumphalem gloriam Tuam, Orbi dicendam effunderemus; in ipsa amantissimæ Matris viscera, ingratissimâ, quâ nihil atrociùs manu, sæuire grassariquè videremur. Absit hoc nefastum viperinæ malitiæ portentum. In Sacrarum Arenarum decorem gratiq; animi tesseram, vel extremo spiritu niti; vnus omnium spiritus est. quo sic calentium pectora, vt palàm erumpãt; grandes, quibus interiùs aguntur, vehementesquè stimuli adurgent. Arcanum id calamo quoquè nostro, diuquè in obsequia Tua ô Diuinissima Virgo, agitato impetu, retineri haud facile, quem si Tua, sacratissimæq; Prolis Tuæ benedictione dignaberis; quæ deinceps, dilecti scri-

ptoris

ptoris Tui GRODZINII consecuta ætatem, nouissimo Arenarum honori accessêre, admiranda Tua venerabundi pxosequemur.

SERIES.

MIRACVLORVM.

Vnâ cum diligenti, quantùm inuestigari potuit adnotatione eorum, quæ subsequentibus deinceps Annis, ac potissimùm grassante per Poloniam fatalium bellorum calamitate:

Circa Sacratissimæ Imaginis, Lociq; istius vicissitudines præcipua incidêre.

PRopiora ætati, quam viuimus, & quæ sub oculis nostris facta, non tàm fide assequi, quàm intueri licuit, in Arenis Virgineis miracucula, recensere antequam incipiam; iustæ conderationi, admirationiq; Tuæ, Optime Lector, occurrendum primùm censui; quàm in ipso, continuationis huius accessu, suboriri tibi posse, facilè deprehendo. Miraberis forsitan, quid causæ interuenerit; quòd cùm miraculorum in Arenis idem propè numerus, qui & arenæ maris sit; non leni aliquo latice fluentibus hîc, sed inundantibus planè, donorum Cœlestium beneficijs: adeò quidem, vt ijs non describen-

dis tantũ, ſed vel leuiter adnotandis cura omnis, & diligentia, quantumuis maxima, ægrè ſuffi-ciat: paucula nihilominus hîc ex tanto nume-ro producta, ceu modicè, ex immenſo mari guttulæ hauſtæ delibatæq; appareant. Verſatur vt exiſtimo, in animo Tuo ſumptuoſum illud ſa-celli Virginei decus, ſplendorquè Tantæ Prin-cipis, Regali ſoliò dignus; in quo, cũ multa affa-brè, magno artis, & impenſarũ certamine facta, in ornamentum tanti ſacrarij aſſurrexiſſent, Ma-ieſtatemquè loci, non ſtructura tantùm, ſed ap-paratu quoquè ſplendidiſsimo, magis magiſq; auxiſſent: tum præcipuè votiuæ illæ Tabellæ, beneficia Virginis confeſsæ, inſigni ad promo-uendam fidelium deuotionem, augendamquè fiduciam, incitamento ſpectabantur; in quibus, varia omnis generis miracula graphicè depicta, cum ſpectantibus ad id, temporis, loci, & perſo-narũ circumſtantijs, magno numero viſenda, vtrumquè corporis & animi intuitum, cum re-ficerent; deuotarum mentium intima quæquè, tantò penitiùs, quia planè ad ſenſum penetran-tia, admirabilem in Arenis Virginem teſtaban-tur. Iure igitur expectâſse Tibi videbaris, ingẽ-

tia gratiarum loci huiuscè volumina, consignariq; ea publicis monũentis, in posterorum memoriam transferri, æquissimum iudicans; multiplicem in ijs varietatem, dextæreque excelsi virtutem, contemplari, quàm numerosissimâ seriè exoptâsti. Sed ecce admirandam Virginis Maiestatem, exiguo miraculorum eius censu coarctari, decoremquè ipsius, & fortitudinẽ, quam hîc à tot annis induit, rarioribus miraculis, ceu gemmis distinctam, non summa densissimaquè luce coruscare, ægrè fers, iustâquè indignatione vix pateris. Sacer hic profectò zelus tuus; Optime Lector, tecumquè nobis communis est; quo tibi vindicias Marianæ gloriæ spirantia, cum incalescũt præcordia; inflammari ea, contra impiam hæresim, extremâquè detestatione magis magisquè accendi patiare; cuius iurato sceleri, totũ id, quidquid in consequẽtibus miraculis, magno hiatu, damnoquè interceptum est, imputabis. Postquam enim ruptis contra omne fas, iusquè gentium, durantibus adhuc cum Regno Poloniæ induciarum fœderibus, Caroli Gustaui Suecorum Regis improuisa armorum tempestas maiorem minorẽ-

què Poloniam inundasset; sedeq; Regni, primariâ Vrbe Cracouiensi occupatâ, profana, & Sacra omnia publicâ calamitate inuoluisset, sæuiente hostili manu, in obuia quæq;; ac præcipuè in Templa, Vrbi viciniora, ceu defensioni illius, contra vim Polonam nociua: Sacer quoquè hîc locus, non tàm quidem, rebus Sueticis infestus, quàm potiùs, ob celebritatem suã, populiquè in eo, mediâ quantumuis hostilitate, insignem frequentiam; maiorem Hæreticorũ indignationem, & odium implacabile promeritus; communem alijs ruinam, cladémquè effugere nequaquam potuit. Desæuijt in eum Violenta Suecorum manus, cuius gloriã, & magnificẽtiã, ferre non potuit; cũq; eum solo æquare, penitusq; abolere constituisset; validâ ad id operariorũ, partìm conductâ partìm coactâ manu, Sacellum illud longè pulcherrimùm, sumptuquè magnifico extructum furioso nisu cum demolitur; ruina eadem quidquid elegantioris picturæ, ornamentorum votiuarumquè Tabellarum fuerat, cadentibus ex alto saxis grandioribus, totâquè mole, vasto deinceps impetu procumbente, inuoluit. Interiêre tum temporis,

immani prægrandium fragmentorum pondere conuulsa, protritaque, recentiora pariter & antiquiora, miraculorum testimonia, viuis rerum gestarum coloribus, lineamentisquè expressa, cum quibus annorum quoquè præcedentium series, & memoria, propè consepulta; vesanã Hæreticorum rabiem, irreparabili rerum insigniorum dispendio, tantò magis apud posteros loquetur, quantò premitur altiùs. Habes ergo Optime Lector, quod admirationem tuam, super paucioribus miraculis hîc productis vt cunque sistat; piam verò indignationem contra impios Iconoclastas, tantò magis accendat, quod te dolenter vt opinor ferentem; illud nihilominus soletur, si tecũ reputaueris; ruinam hanc admirandorum Virginis; non minùs Sacræ Imaginis honori, celebritatiq; nocuisse; quàm si quis, pugillum arenæ, quæ est in littore maris, tollens, ex ingentium eius donorum, extrema clade, fatuè ridiculèquè triumphasset. Supplebit pugillum hunc, toto gratiarũ sinu, fundiq; nesciâ abysso abyssus gratiarũ MARIA; multiplicabitquè beneficiorum suorum Arenas, tantò numerosiùs; quantò id nunc magis expedit, vt

confundantur ij; qui Sacratiſsima eius in Arenis veſtigia confundere, Diuinumquè loci genium prophanare, Gyganteo planè contra Diuã conatu, voluerant. Accipe interim Thaumaturgæ in Arenenſi Carmelo Virginis reliquas, quæ ingentibus ſuperfuêre ruinis; & quæ noſtra deinceps ætate contigêre, gratias; quas cum inter legendum, debitâ veneratione proſecutus fueris; fontem earum, qui DEVS glorioſus eſt; gratijs immortalibus corona.

Vt igitur ab ijs primùm miraculis, reliquorũ contextum exordiar; quæ ætatem quidem ſcripti, cuius continuationi inſiſto, non exceſserunt, recenſeriquè inter antiquiora miracula iuxta temporis rationem, iure ſuo debuêre cum tamẽ ſeriè illâ neſcio quo pacto exciderint; præteriquè ob inſignem ſui celebritatem non poſsint; hîc ea referre antequam recentiora proſequar operæ pretium duxi.

Opportunè verò, auguſtæ Maieſtatis opera, à Coronato VLADISLAI PRINCIPIS Capite, publicæ felicitati ſeruato, auſpicari licebit. Periclitari fortè in hoc Principe ceperat, tot populorum ſalus, incomparabili Sceptrorum eius feli-

felicitati, iam olim destinata; cum in morbum grauiorem incidens, æquè Regiam Domum, ac Vniuersæ Poloniæ spem vehementius concussisset. Ætatem illius tum flos pueritiæ lectissimus; indolem verò, admiranda Heroici spiritus vis, latere, continerique nescia, inter delitias, & venerationem bono publico carissimam fecerat; cum intimas corpusculi eius medullas, flammæ, ardoresquè omnino lethales aggressi; iamquè nec sedari, nec restingui faciles; quinimo manum omnem medicam, quæ in tanti capitis periculo summa fuerat, respuentes; tot deinceps victoriarum Poloniæ messem, adhuc in herba depascerent. Triste hoc spectaculum ferre amplius non valuit, doloribus maximis propè consumpta Mater ANNA AVSTRIACA, SIGISMVNDI III. Poloniæ & Sueciæ Regis Cōsors: quæ cum remedia humana omnia, frustra hic conflictari vidisset; Hæreditario Austriácæ pietatis spiritu vehementiùs commota, toto viscerum Matris affectu, Diuinæ Matri supplicat, atque ad celebrem eius in Arenis locum suspirans, Regali proli suæ salutarem Regiæ Virginis implorat manum. Fauit illicò supplicanti, Benedi-

nedictaita Virgo; atquè vt se Reginam Poloniæ, iuxta oraculum suum probaret, Regiæ stirpi seruandæ, cælitus opportuna adfuit; deuotũ illud honori suo caput, tot laureis olim, pro defensa Christianitate præcingendum, iam tum præcipuâ curâ custodiens; atquè vt in terrorẽ Orientis adolesceret. succidi illud, in ipso ortu, floreque ætatis non permittens. Maximis exinde lætitijs incessère, Augusti Parentes; festinataquè votorũ, quæ pro filij salute conceperant, exoluendorum celebritate, VLADISLAVM Principem ad Aram Magnæ Virginis sistunt, quod viueret, valeretquè communi viuentium Matri debere se profitentem, atque vt id perpetuum, ceu aureo quodam ore, monumentum loquẽretur; ductam ex auro pueri eius ætatis magnitudine, verè aurei Principis statuam, in sacello Virginis, Regali magnificentiâ ponunt, dicantquè. magno vel tum auspicio, sub hoc olim Principe auream Poloniæ ætatem, quam post tot insignes victorias læti, felicesq; viximus, fuisse dèstinatam.

Et hæc quidem in VLADISLAO Principe, beneficio Virginis, ad coronas, victoriasque seruato.

uato. succesſêre deinceps Anno Chriſti 1634. cum iam rerum in Polonia potiretur in Bellatorem, triumphatoremquè, Cœleſtiũ ſuffragiorum, ab eadẽ Virgine, inſignes collatæ gratiæ. Prima, illius Regales curas exceperat fortè armata Moſchorum potentia, validaquè manus, externæ quoquè militiæ viribus coniuncta; quæ recuperãdi Smolenſcij ſpe haud dubiâ tumens, obſidionem eius, ingenti apparatu copiarumq; numero aggreſſa fuerat: Formidandum id quidem, mole ipſa belli, terrorequè, ſed ingenti VLADISLAI animo immortalium factorum, bellicæquè gloriæ auidiſsimo, perquam opportunum; qui gratulari ſibi viſus, quod vix in Regẽ inunctus; ad Palæſtram illicò luctamquè militarem, ceu fortiſsimus Athleta vocaretur. Ad ſuccurrendum proinde Smolenſco grauitèr laboranti, cum modica ſi eam numeroſiſsimis Moſchorum copijs comparaſses exercitûs manu, animosè dum progreditur, humanis ne quidquam viribus, quas præſertim impares hoſti ducebat fidendũ ratus, ad ſolitam beneficæ in ſe Virginis Arenenſis opem, & gratiam implorandam confugit: votoquè concepto, ſi victor

redijſset, in Arenis exoluendo; totum id, quod ingenti animo proſequendum ſumpſerat, curæ & patrocinio eius commiſit. Secuta deinceps poſt tot acerrimos ad Smolenſcum conflictus, poſt fractum, inuictâ perſeuerantiâ, turpiquè deditione caſtris exutũ, victumquè penitùs hoſtem, memorabilis victoria, victorquè VLADISLAVS, manubias illas, triumphatrici Virgini in acceptis referens; vt eas voto publico immortales faceret, rei geſtæ ad Smolenſcum, victoriæquè ſeriem graphicè exprimi, & in ſacello Virginis, vnde prodierat, immortali memoriæ conſecraſset.

Nec omittendum hic, & illud quoq;; quod ſeriè quidem tempori ſuo debitâ excidit, non ideo tamen perenni memoriâ excidere debet. Anno Chriſti 1613. inter celebrem illam feſtiuitatem, quæ octiduo toto in Arenis, viſitantis Eliſabetham Virginis triumphalem memoriam recolit, intererat fortæ tantæ ſolennitati, nobiliſsimo ſanguine, & virtute Illuſtris Matrona Illuſtris Dñi Płazæ Burgrabij tunc Arcis Cracouienſis Conſors lectiſſima: cum repentè conſpicit, in Sacellum Virginis, mortuum inferri pue-

puerũ, querulisque vocibus & lamentis, omnia personare, flexit ea res ad commiserationem, cor eius pientissimum; adeò quidem, vt corpusculum illud exanime manibus proprijs excipiens, ad Aram illud Virginis, magna animi fiduciâ posuerit; ceu à fonte vitæ vitales iterum spiritus, haud dubiè recepturum. Nec diù morata Virgo, beneficam se præbuit; dumq; sibi in Litanijs, Lauretanis augustum illud elogium SALVS infirmorum canitur; extinctum hactenus puerum DEO intercesȷioni suæ annuente, nouo vitæ spiritu animauit. Recepit eum deinceps ex Altari, eadem Illustris Matrona, miraculosoquè vitæ spiraculo, beneficæ in se Virginis, gratiam spirantem, ijs qui eum defunctũ portauerant, viuum, & incolumem reddidit, incredibilis lætitiæ sanè quam plenisȷima, quod ijsdem manibus, quibus spolium mortis, in vitalem aram Virginis intulerat, trophæum vitæ, & gratiæ extulisset.

SEquitur quod edissero, stupendũ præ alijs, & memorabile. Concesserat fatis, immaturæ mortis ferali decerptus manu, cum annum vitæ decimum vix attigisset, ætatis suæ, & solatij Pa-

rentum flos, Valerianus Gaſparis Tylewicz Conſulis Clepardienſis filius, vtriquè Parentũ vnicè quidem dilectus, ſed Matris præcipuam complorationem; prout earum in prolem, tenerior affectus eſse ſolet, promeritus. Deſtinatur ei ex more Chriſtiano, ſepulturæ locus, eligiturq; ſingulari Parentũ deuotione, in Arenis; idq; nõ ſine Arcano inſtictu Diuino, vt ad Matrẽ vitæ, trophæũ mortis cũ defertur, magnæ admiranda Virginis adaugeret. Adfuit iuſtis funebribus deſignata dies tertia, iamquè funus ritu ſolito elatum ad locum ſepulturæ proceſserat: cum Mater doloris impatiens, ſpequè ingenti in DEI Matrem planè abrepta; vt filio vitam, ſibiquè filium incolumem redderet, obteſtari eam; verbiſquè inter lacrymas, & alta ſuſpiria, crebro gemitu interruptis, compellare cœpit: Commouit ardens ea Matris ſupplicatiò, circumſtantiũ animos, ſuſpenſoſquè reddidit; quonam tandem, tanta illa acerbiſsimo dolori miſta fiducia proficeret. Et ecce in conſpectu omniũ funus illud comitantium; Mater Sanctæ ſpei, proſtratæ ante Imaginem ſuam Matris, inuictâ ſpe quodammodo victa, à DEO fonte vitæ, vitam
tridua-

triduano mortis ſpolio impetrat; Res mira, animatur ſubitò corpuſculũ illud, lugubri feretro compoſitum; tumuloquè iam proximè inferendum, ſurgitque puer rediuiuus, vermibus in eſcam deſtinatus, ſtuporem, & gaudia ſua, Parentibus, & ijs, qui tum aderant, non capientibus. Peruaſit exinde omnium animos, Sacratiſsimi illiùs loci, tanto maior reuerentia; funebrequè ſpectaculum in lætitiã, deinceps incredibilem, mutuaſquè congratulationes, velut feſto Geniali conuerſum; Valerianum ex faucibus mortis ereptum, denuoq; genitum, latè increbreſcente famâ diuulgauit. Superuixit ille poſthac annis viginti tribus, nec aliam deinceps Matrem vitæ verius ſanctiuſque coluit; quam eam, ante cuius Aras ſecundò genitus, non ordine naturæ ſed Miraculo gratiæ vixit. Spectauit autem beneficium hoc admirandæ Virginis ætas illa, Anno Chriſti 1634. die 24. Februarij, magno ad poſteros documẽto, ex quo conſtet; multos quidem vitam hîc, & ſanitatem corporis recepiſſe; longè plures tamen quatriduanos fætentes Lazaros in anima quotidiè ſuſcitari.

ET hic quidẽ longiori interuallo temporis; cuius memoriã in tabulis depictam, vti diximus; dicturiquè ſumus deinceps fuſius perſecutio ſacrilego Suetica ſcelere extinxit. Anno demum 1639. quod referam, triſte quidem, & tragico euentu formidandũ ſequitur, ſed horrore ſuo, compunctioni mentium ſalutare; maioriquè ſacris conciliandæ locis reuerentiæ proficuum. Menſis Septembris eius anni die ſabbathi, qui Virginis Sanctiſsimæ cultui, præcipua fidelium deuotione ſacer, maioriquè in Arenis concurſu populi inſignis eſse ſolet; aderat fortè in Sacello Virgineo, inter complures, qui ſacris ibidẽ orationibus vacabant fæmina quædam, pudoris forſitan quod ſoli DEO patuit, proſtituti. Cui ante ſacram Imaginem oranti vicinior præ alijs mulier quædã, à Dæmone obſeſſa cum adſtitiſſet; furere ſubitò, horribiliquè in eam impetu ferri incipiens; inconditoquè clamore verba hæc proferens: Et tu quomodo auſa es comparere in conſpectu Matris Altiſsimi? caput tandem miſeræ illius capilliciotenus apprehenſum; adeò violenta, quæ vires omnes humanas exceſsit, cutis detractione, tur-

pi

pi & infami spectaculo denudauit; vt multi ex ijs, qui tum propiores aderant, cruore magna vi erumpente perfunderentnr. Exhorruêre omnes, ad tam subitum, & insolitum, vindictæ Diuinæ flagellum; miseramquè illam, vix tandem è manibus Dæmoniacæ mulieris dimissã monstrum potiùs, quam speciem hominis præferre conspicati; perculsis alta formidine omnium animis, educi eam extra Sacellum foras, animi vix compotem, totamquè sanguinè madẽtem curarunt. Quo cum illa tremens, extremũquè spiritum trahens, peruenisset, partim atroci dolore, partim angore animi, & confusione, stimulisquè conscientiæ exagitata, & oppresa, animam breui exhalauit. Incredibile dictu est, quam id clauo trabali pectora omnium confixerit, exhorrescentibus pasim, summoquè cum tremore ante sacram Iconem, vix comparere audentibus. Permittente id Virgine; vt discerent Matrem summæ puritatis, Carmeli sui in Arenis decorem, ceu Sancta Sanctorum, ita diligere, vt ne minimũ quidem, etiam occultæ impuritatis vestigium in eò figi patiatur; inscribiquè vestibulo suo velit; foris canes, & impu-

dici: ne putent honesto impudici animi vela-mento posse se oculos eius fallere, quæ oculi Diuini pupilla est.

ANno Christi 1642 Heroum Poloniæ flos, vir belli pacisquè artibus summus; immortalibusquè ad Chocimum, ex Otthomanica potentia, trophæis, æternum memorandus, Stanislaus Comes in Wisnicz Lubomirski, Palatinus Cracouiensis, in morbum grauiorem incidens, adhibitis medicorum consilijs, cum vis morbi, omnem eorum medendi peritiam, humanaquè remedia effugeret: spe omni, non sanitatis tantum restituendæ, sed vitæ quoquè prorogandæ, penitùs sublata; Sola non nisi in Virgine Matre fiducia, contra spem omnem subnixus, ad eius celebrē in Arenis locum, prouocat, suspiratq;. Vix ea animo vota conceperat, ingrauescente morbo ægrè suspiria sua trahēs, optimus Heros, & ecce medicis circa eum desperantibus, non distulit adesse medicina Christiana se inuocanti: momentoquè & vitam, cum integra sanitate, periclitanti; & Patriæ in eo columen restituit. Sed nec ille quoquè distulit, gratum se accepti beneficij votiquè reum, coram bene-

ficam Arenis Virgine sistere; prostratusquè ante sacram Imaginem, cum solemni gratiarũ actione, vota sua exoluit. Vt verò magnificentia admirandæ Virginis, eo in loco tanto conspectior fieret; Heroicâ munificentiâ opus illud Sacelli Virginei, quod tùm splendidè & sumptuosè surgebat, insigniter adiuuans, testatus est. Gentilitij Srzeniauæ fluminis sui, liberalem impetum, Ciuitatem DEI cuius fundamenta in montibus Carmeli sanctis gloriosa sunt, lætificasse.

ET hîc iterum post grandem aliquot annorum iacturam, quorum itidem memoria, cum votiuis tabulis sublata, Sueticæ quoquè deuastationi imputanda est; Annus demum sequitur 1650. quo vt beneficentiam suam, si fortè, vox humana ingratitudine oppressa deficeret: bruta quoquè animantia loquerentur, beneficã se ijs præbuit Virgo Clementissima 5. Maij huiusce anni Generosus Falecki, vir militaris, potu meraciori cum plus nimio incaluisset; equo cui insidebat, vtrumquè flagello oculum excusserat, temulentaquè manu planè eum confecerat; subijt deinde recollectum animum eius, vis

doloris vehementior, inuocandæ què Virginis sanctissimæ stimulus interior. Quod cũ, triduo toto humi decumbens, Sendomiriæquè, tum agens magno & fiduciali affectu fecisset, votaq; sua admirandæ Virgini in Arenis nuncupasset; nouos subitò oculos, equo donatos, visumquè perfectè restitutũ stuporis & gaudij plenus conspexit. Hoc verò vt tantò magis testatum faceret, Cracouiam se conferens, instituta gratiarũ actione, corã Imagine admirabili, rem vt erat, iuramento, vnâ cnm tribus famulis, qui miraculo præsentes aderant, comprobauit. Atquè id quidem, benefica in omnes Virgo, dum hominum ad se corda prouocat, etiam in brutis animantibus, admirandum esse voluit. Quanti verò, equi illi & muli, quibus non est intellectus: illecebris carnis, & cæco mundi amore excæcati, oculos hic mentis recipiunt! quorum cæcitas tanto periculosior, quantò pupilla mentium delicatior; soliusque Diuinæ curationis capax est.

ANno Christi 1651. die 8. Maij Diuo Stanislao Regni Poloniæ Patrono sacra; quam fatale & ominosum sit, cælestem admirandæ

Ima-

Imaginis vultum aliquatenus immutari; sacrũquè illud, indutæ Solem Virginis, simulachrũ nube vel minimâ contegi; infelici experimento suo, docuit quidam, cuius hîc casum referimus. Fuit is, nullis quidem initiatus sacris; cæterùm Sacerdoti ad Aram sacræ Imaginis tremendum Altaris Sacrificium oblaturo ministerium suum libenter obtulit. Accesserat iam, prout moris est, vnâ cum Sacerdote ad Altare Virginis: cumquè ad vlteriora ministeria, animum disponit; conspicit subitò, venerandos sacræ Iconis vultus, notabili specie immutatos, minarumquè & auersionis cuiusdam plenos, augustâ illâ Maiestate seueriùs eum intuente; adeoquè intima hominis percellente, vt cum horrorẽ, quo intus exagitabatur, ferre amplius non posset ab altari illico se proripiens ad locum præparationi sacrorum destinatum (vulgò Sacristia dicitur) confugerit, vrgentequè quem dissimulare non poterat insolito tremore, palã quid secum ageretur, confessus sit. Nec frustra id miserò illi euenerat. compertum enĩ deinceps, eâdem ipsa die, infelicem illum miserè occisum. haud vano augurio, vitalem Matris

viuentium conſpectum, tantopere immutatum ferre non potuiſſe. Ita profectò ſacer hic vultus, fatidicus quidam Arcanorum Cœli character eſt; in quo oracula Diuina ex amabili, aut ſeueriori eius intuitu, leguntur quidem facilè, ſed non facilè, quò vergunt intelliguntur.

ANno Domini 1652. Lues peſtifera Principem Regni Cracouiam, ac exinde vniuerſam fermè Poloniam, cum inuaſiſſet; Pater Angelus Carmelita, ex Conuentu Cracouienſi, euitandi periculi causâ; in ſubmontana ad Conuentum Iaſlenſem profectus, in traijciendo flumine Donaiec, ab extremo vitæ periculo, ope admirandæ Virginis ſeruatus eſt. Vernus tum àëris tepor, concretum multâ hyeme fluuium reſoluebat; iamquè ripa ab vtraquè ſoluta glacie, præcipites aquæ ferebantur, cum ille per ſuppoſita arborum ſarmenta, in altum fluminis; vbi nec dum glacies tantopere ſoluta apparebat, curru cum equis tranſmiſſo, in manifeſtum vitæ diſcrimen, vna cum alijs, qui id cum eo tentauerant, venit. Glacies quippè veſtigia equorum, & pondera currûs ferre non valens, palàm ſubſidebat, fractaquè dehiſcebat, deſperanti-

rantibus & ipsis, & ijs, qui circa littora hæserāt, vt extrema cogitarent, Deoquè se commendarent, lacrymabili voce conclamantibus. Cũquè iam vltra medium fluminis sustinente vtcũquè glacie, extremo ausu processissent; ad alteram fluminis ripam, dum euadere contendũt, in aquas profundi, vorticosiquè fluuij glacie iam omnino deficiente, cum curru, & equis, præcipites descendere coacti sunt. Hîc mirum sanè equi iam fatigati; cum curru onusto, cui Pater Angelus insidebat, & aquis profundè mergebatur, magnâ vi enatantes incolumem eum in littore sistunt, alij quoquè nando, ad ripam delati; omnes tandem incolumes, diuinitus se, ac omnino prodigiosè seruatos mirantur; solus omnium Pater Angelus rei conscius, vnde illa conseruatio eorum prodigiosa venisset animo secum reputabat. Habebat is Imaginem Virginis sanctissimæ ex Archetypo Arenensi, optimi pictoris manu, in lignea tabella ad amussim depictam; quam deuotionis causa quocunquè se conferret, circumferebat; ac tunc etiam in illo periculo eam recogitans; opem Virginis, cuius illa Cœlestẽ referebat vultum ardentissimè

mè implorabat. Hanc itaquè cum inter cæteras reculas aquis madidas requirit, inuenit eam, ne vnicâ quidem guttulâ madentem, aquis omnino intactam, & illibatam, cum in loco madefactioni opportuno depoſita fuiſſet. Ex hoc itaquè ſigno agnoſcit, ad vota & ſuſpiria ſua, in illo diſcrimine, pro ſe & pro omnibus facta, magnam Arenarum Virginem adfuiſse. Ita tabella illa benedicto vultu reſplendens, ſalutifera fuit naufragantium tabula, quam vt ex Arenis eſse ſcias; delatos in ea ad littorum Arenam periclitantes cogita.

VEnio nunc ad ea publicæ calamitatis tempora; quibus vt nihil funeſtius, ſanguineiſquè magis deplorandum lacrymis, ætas noſtra vidit; ita dicendis ijs, & cum ſera poſteritate communicandis, parem aliquam ingenij calamiq; vim, adferre haud quamquã poterit. Non vna quippè malorum Ilias; quæ maximis quibuſquè & potentiſsimis Imperijs, ab ima radicè cõuellendis, vel ſola ſuffeciſset; dicẽda ſe ijs offeret, quorũ calami, in vaſta, illa bellorum ingentium mole, ad poſteros tranſmittenda laborabunt: quæ vt robuſtiſsimos etiam,

hoc

hoc in genere Atlantes fatiget, graui diuturnaquè malorũ serie ĩtolerabile põd, cõgessit. Hoc egisse videbatur summa illa VLADISLAI IV. Regis victoriosissimi temporũ felicitas; vt diu bono publico altissimæquè pacis quiete grauida; summam deinceps infelicitatem, partum sanè detestabilẽ pareret: quem in partibus Roxolanis, ad Orientem versis, rebelliq; illarum colluuie exorsa; ad Aquilonem vsquè & reliquas mundi plagas, velut ex conducto produxit. Vidimus sanè ea, subijmusquè malorum genera, quibus forsitan apud posteros ægrè fides conciliari poterit; cum quidquid gentiũ, Tanai, Volga, Boristhene, Euxino, Baltico; glacialiquè pelago, quidquid vltramarinis ad vltimam vsque Lapponiam, quicquid vltra Carpathum? Moldauiæ, Transyluaniæ, Pannoniæquè finibus cingitur, quin & earum quarum & nomen, & Idioma nobis, vix innotuit, in ipsis Patriæ visceribus eodem propè temporè, cum infestis armis hæsisset; ac velut signo dato, ad extinguendam nominis Poloni memoriam coniurasset, Verum hæc dolenti calamo prosequi, instituti nostri ratio non est; desudantibus in eo,

& pro ſubſequentium temporum commódo, operæ pretium facientibus, maximis quibuſq; ingenijs: nobis ea potiſsimum belli tempeſtas quæ ab Aquilone Suecico, Reipublicæ noſtræ incubuit dicenda venit; idque eatenus non niſi, prout ad vrbem vſquè Cracouienſem delapſa, eodem fatali turbine, Arenas quoquè Carmeliticas inuoluit.

AC inprimis horrorem animo, calamoquè incutit, Auguſtiſſimi vultùs Virginei, qui Cœli terræq;, ſũma iucũditas eſt, ſubità luctuoſaquè metamorphoſi ſuâ, miſerabilem, quæ deinceps ſubſecuta eſt, Poloniæ faciem prænuntiantis, formidandum illud ſpectaculum; cuius nube illa omnium ſanè triſtiſſimâ, alterniſquè in ea vicibus, inſolito ſquallore terroreq; humanum omnẽ aſpectum non ferentibus, quantuſcunquè ſcribentium conatus inferior omnino eſt. Memoriam tamen eius hic referre, vel ideo ante omnia placuit; vt intelligat Polonia ex tanti menſura doloris, qualem hìc, & quam amantem ſui Matrem, Reginamquè habeat; quantumquè illud, & quam viribus humanis non ſuperandum mali publici genus fuerit; ad

cuius

cuius conſpectum, ipſa etiam magnæ Viginis, inconcuſsa facies exhorruit: iam tum quodammodo ſe præparans ad illa, quæ breui poſt, ſacrilegis Hæreticorum manibus inflicta, ſuſtinuit vulnera, vt indignationis Diuinæ vltrices in ſe potius auerteret, occuparetquè manus; ne toto iuſtæ vltionis ſuæ impetu, puniendis nobis incumberent. Ex hac certè eclypſi, vultus alias Sereniſsimi; quam fatale vltimi propè interitus ſui momentum effugerit, facile deprehendet, in quo parum abfuit, quin tot ſimul gentiũ manibus prehenſa, ſuffocataquè expirauerit; niſi maluiſſet Virgo, ſacros vultus ſuos vehemẽtia doloris, non turbari tantum, ſed profanari quoquè deinceps ſceleratâ manu, & ſauciari; ne tot ſimul ingentium bellorum, & populorum turbæ vltimam Poloniæ memoriam, ex ipſa media Polonia exturbarent. Ad hanc ergo metamorphoſim Virgineam ſpectandam dum accedis ô Sarmatia! contemplare in ea quidquid in te emmortuale iam fuerat; quantumquè pro te in conſpectu Domini egerit; quantum ne omnino perires ſudauerit, attende,

PRocesserant iam, DEO ita permittente arma Suecica eousquè, vt cum ad maioris Poloniæ fines non exiguam eius Prouinciæ, nobilium manum, positis ad fluuium Notes Castris, excubantem: non tam vi, quam ostentatæ protectionis simulato prætextu; suspectaq; transactione, dilabi fecissent, nullo deinceps resistente, in ipsa Poloniæ viscera se se effuderint: perculsis ad tam inopinatos hostium progressus omnium animis, famâquè minus expectati ab ea parte, belli longè difficillimi, omnia in maius augente. Impleuerat eâ minorē quoquè Poloniam, serpebatquè eò latius, tantoq; maiori impendentium periculorum formidine; quod in eas tum Reipublicæ angustias incidisset; quibus nihil vnquam difficilius Moschorū, Cosacorumquè armis, per Lithuaniam, & Rusiā infesta omnia: tū vel maximè tenentibus, exercituquè nostro vbiquè laborante, ac propè succumbente: cum nec totus, tot simul hostibus opponi, nec diuisus, contra summam vbiquè vim sufficere posset.

DIstractis ergo Reipublicæ viribus, & vndiquè implicatis; cum ex hoc etiam nouissi-

uissimi cum Suecis belli accessu, tantò maior animorum consternatio, inualesceret; iamquè multi desperatis Patriæ rebus, actum de ipsa cōclamarent; inter pauentium vndiquè ac animo fluctuantium reciprocas vices, & ominosa quæquè præsagia, auxit in immensum imminentis periculi magnitudinē, pullatāquè doloris publici faciem, tanto funestiori inuoluit obduxitquè Syrmate, luctuosissimo velamine obducta Virginis Benedictæ facies. Adultâ quippè iam æstate Anno Domini 1655. vltimis mensis Iulij diebus, cum ea fortè dies incidisset, qua Suecus (quod postea obseruatione haud dubiâ compertum est) primariam maioris Poloniæ Ciuitatem Posnaniam, absquè vlla armorum impressione, sed compositis tantum, ex pacto simulatisquè fœderibus, ad deditionem inductam cepit, eâdem ipsâ hostilis in eam ingressûs horâ, quæ tum decima ante meridiana fuerat, vultus ille in sacra Arenēsi Imagine amabilis, in quo non obscura, Diuinitatis cuiusdam lineamenta, Arcanum quiddā spirantia intuemur; ceu subitâ, ingentium dolorum commotione perculsus, pulchritudinis & Maiestatis suæ,

decus priſtinum amittere, & inuſitatum quoddam portentoſæ ecclypſeos ſimulacrum induere conſpectus eſt. Viſebatur ille palàm, ad dexteram Imaginis partem, flammis qiubuſdam rubentibus magis magiſq; accendi, ac velut ignitum aliquid, vehementiquè commotione exardeſcens præferre: nec tam roſeus ille color, quam potius, ſummâ quadam vi, ac velut in agone certātis pro conſeruanda Polonia Virginis lucta expreſſus, turbatuſq; fuerat: ſiniſtra verò Sacratiſſimi vultûs pars, alto dolore ſqualloreq; confecta, tota flaueſcere viſa; exanime quiddā, vitaliquè ſpiritu deſtitutum exhibebat. Horrendum id ſpectantibus omninoquè non ferendum apparuit: nemo in conſpectu illo diutiùs conſiſtere; nemo fulgur illud quod indignatio Diuina vibrare, & implacabili manu, torquere in omnes videbatur; ferre potuit. ac tùm vel maximè; cùm in veneranda quoquè frontè Virginea, eâdem mæſtiſſimâ nube obductâ, erupêre ſubitò apparuêreq; inauditi ſudoris guttæ, nucis auellanæ magnitudinē præferentes; quæ partim hærere, partim decidere viſæ, in ſubiectam etiam Sacræ Imagini ſyndonem deſtillârunt.

lârunt. Porrò vultus ipse, tam insolito rubore, squalloreque suffusus, totus ad supplicandum compositus, grande quiddã deprecari, visus est. ceu renuentẽ, & intercessionis suæ, obnitentem Dominũ, summâ vi vrgeret, totoq; conatu, vt furorem eius extremũ auerteret adniteretur. Durauit hæc trististissima metamorphosis Virginea, horis duabus integris ad meridiem vsquè; spectatum eo concurrentibus, non viris tantum Religiosis, qui tum florentissimum illud Cænobium Arenense, magno numero incolebant; sed personis quoquè diuersi statûs & conditionis; quas spectaculum illud diuulgatum, rei nouitate, & admiratione frequentius eo deduxerat. Quidquid tamen egissent, aut quantumcũquè animos, ad intuendã Imaginis lugubrem mutationem obfirmassent, nihil omnino profecêre, illico enim, vt quisquè ad eam videndam comparuit, intimis veluti præcordijs trementibus, & palpitantibus, animo liquescere, ac vt è Sacello, conspectuquè Virginis discessũ maturaret, inuincibili formidine cogebatur. Suspẽsis ergo & in stupore suo hærentibus omnium animis; ex interualloquè non nisi, duraretne

adhuc triste illud spectaculum inquirentibus, nec comparere ausis; inter æstus illos, pauida omnia cogitantium, expectationemquè nimiũ anxiam, & inquietam; flauis illis rubentibusq; flammis; quæ Augustissimæ faciei decus illud Cœleste infecerant; vnâ cum sudorifera grandine, sensim tandem, ipsâ nimirum horâ duocimâ meridianâ disparentibus, rediјt sua venerandæ Imagini Maiestas, decorquè; solatio tum quidem omnium sanè quàm maximo: sed tamen, non sine graui trepidantium exinde & infausta omnia præsagientium solicitudine, & vergente semper ad tristiora interpretatione, prout tunc, hostilium armorum famâ magis magisq; inualescente ominosis quibusquè sinistrisquè ostentis, occasio facilis, & multa. Subibat animũ frequens cogitatio, pulsabatquè non leuiter, quid sibi vellet, quod Mater illa Sanctæ spei, eo potissimùm tempore; quo in summa omnium formidine, animorum fiduciam excitatura, vultuquè suo amabili, erigendis desperantiũ mentibus, non defutura videbatur; ceu proiјceret iam desperatos, nec aspectu suo dignaretur; Cortinam eam subierit; ex qua non amplius respon-

responsa vitæ, & salutis; sed interitûs, & exitij quærenda, expectandaquè putabātur. Trahebat multos in admirationē, non totus ille vultus in ruborem palloremquè, aut flauum illud operimentum desinens, verum seruatis quodammodo, vnicuiquè colori, suis interstitijs ac velut, finibus; dextera quidem beatissimi vultûs pars, omnino perpetuòquè rubens; sinistra item dolendo situ, squalloreque flauescens, vtraq; formidabilis, & non ferenda. An quod peccatorū Virgo pro quibus deprecabatur grauitatem enormitatemquè erubescens, cum iusto ad ea vindicanda zelo, accenderetur; mox iterum, viscerum misericordiæ recordata, toto interuētionis suæ nisu, armatas iustitiæ Diuinæ manus contineret; exindequè ignito velut rubore, qui obluctantium esse solet, inflammaretur? An quod iustorum, quos locus in dextera præsignat, grauem sub id tempus pressuram, cædesquè cruentas præuidens, summis eorum angustijs compateretur? An quod deniquè, gentes Poloni sanguinis sitientissimas, quales cum Sueco, Transyluanoquè venêre, sanguineâ vultûs sui purpurâ prænunciaret? Ad sinistram certè flaua illa,

emortualisquè caligo, vltimum Poloniæ funus apparari; sepulchralemquè pompã in proximo adesse; non frustra arguebat; tabescentibus quasi præ vehemẽtissimi doloris angustiâ, & ineuitabilis damni consideratione, dulcissimæ Matris nostræ visceribus, ac potissimùm, cum eos respiceret, qui infelices ad sinistram olim stabũt, calamitate publicâ, mortequè simul æternâ inuoluendos, duplicique eheu gladio, in corpore & anima perituros! Percellebat alios, terrebatquè maximè, sudor ille, qui in Augusta fronte Virginea, insolitæ magnitudinis eruperat; ceu mole illâ, quæ tum nobis haud dubiè impendebat, comminui nos omnino necessum fuerit; in qua sustinenda auertendaquè ipsam etiam Diuinam Matrem, tantoperè desudasse opportuit. Turbo certè ille, qui grandinem hanc portentosam ferebat, euertendis funditùs potentissimis quibusquè Imperijs, par fuerat: debuitquè tum Virgo, in sudore vultùs sui, amaritudinis lacrymarumquè pane vesci; dum tribulos, & spinas extremæ vastitatis, ad quas terra nostra damnata iam fuerat; maximâ deprecatione eradicat, & euellit, vnicus non nisi inter

formidanda luctuosaquè, solatij cuiusdam emicabat radius: quòd vultus Virginis, minax ille quidem, & non sustinendus; non totus tamen auersus, & inexorabilis omninò; sed supplex quodammodo,& malis nostris compatiẽs, perorantiq; ante irati Numinis thronum similis, causam nostram dicere, tueriquè; non sine impetrationis fiducia, prout euentus docuit, cerneretur. Biennium profectò illud, quo tempestas Suecica, in ipsis Patriæ visceribus, atquè in sede Regni, grauissimè desæuijt, duabus acerbissimi huius spectaculi horis designatum; impleuit sanguine liuorequè; millequè sudoribus inundauit, tristissimam Reipublicæ faciem; donec per tot plagas lethalesquè ictus, eluctata tandem, sudoremquè mortiferum detergens, nouam vitæ faciem reciperet. At enimuero, antequã hæc pristina lineamenta sua repetijsset; deformari eam tantoperè opportuit; vt in opprobrium, quin & in scandalum multis concesserit; ijs præsertim qui res humanas, politicis non nisi rationibus, momentisquè definiunt; impiorumquè actus quoties prosperantur, ceu anchora omnis fiduciæ in Deo, sublata sit; vias

iuſtorum confundi, & in interitum deſinere; prophanâ insipidâq; cogitatione autumant. Atque hoc fuit velamen illud, ſacræ Imaginis memorandum, quod breui deinceps reuelauit, quam grande arcanum texerit; & quàm grauidam funeſtis cladibus, prætulerit nubem; quæ vix dum condenſari cepta, immanè quantum procellâ vbiquè ſanguineâ nocuit; Virginis tamen miracula impedire, aut gloriam celare, non eualuit vnquam. Quantumuis enim, intra alterum, ab hoc ſpectaculo menſem; cum Carolus Guſtauus Sueciæ Rex, Caſtris ex maiori Polonia in interiora Regni promotis, planè incruento Marte, ad vſquè conſpectum metropolis Regni contendens; omnia non tam ingentis alicuius exercitûs metu; vt potè, quem non adeò validum in Poloniam duxerat, partemquè ex eo non exiguam, in locorum præſidijs relinquere cogebatur; quam immiſſo potius Diuinitùs terrore, mirâquè animorum ad inuicem confuſione impleuiſſet: caſtra quoq; exercitûs noſtri, ad Vrbem ipſam Cracouiam poſita, muniriq; cepta, tumultuari primùm, ac mox ſeditione militari diſſolui, penituſq; deſeri, dolen-

tes

tes conspexerimus; iamquè præda hostium, absquè defensore fieri, & non amplius vindicãdi, in Sacrilegas vltro venire manus videremur; non defuit tamen, cùm Patriæ rebus, ab extremo interitu seruandis; tùm præcipuè dilecto Arenarum suarum loco, contra spem omnium tuendo, propugnandoquè admiranda Virgo: quinimò curam eius, tum vel maximè suscepisse visa est; cùm iam humana omnia remedia, & consilia defecissent. Postquam etenim, æquè stipendiarius miles, ac is, qui ex publica nobilitatis expeditione constabat, transmisso vistula, versus Submontana Poloniæ abijsset; imminentibus Suecorum copijs, Stephano Czarnecio, Tribuno militiæ veterano, Heroiquè bellicâ virtute & gloriâ, totquè deinceps victorijs incomparabili, defendendæ Cracouiæ cura commissa; Proceres quoq; Regni, vnâ cum Principe, vrgentibus interim fatis, parendum rati, in proxima Silesiæ loca, ac mox in ipsam Silesiam concesŝere. Triste id, & ferale omnibus visum; eademquè ipsâ die, quæ fuit 25. Septembris, dies nimirum sabbathi, Virgini Beatissimæ sacer; consilium ab ijs, qui defendendæ vrbi relicti fue-

rant; de ſuburbijs, ne hoſtem reciperent, igni tollendis, agitari cæptum; vrgente hoſtilium copiarum aduentu, non diu cogitatum, mox exequi iuſsum, factumquè. Erant tum, ſuburbia Cracouiæ, tantò feliciorum temporum tractu, ligneis, muratiſquè ædibus, ſanè quam inſtructiſsima; vrbemquè ipſam, latiſſimo vndiquè ambitu circumdederant; in quibus templa quoquè & Aſceteria, ſumptu & opere magnifico, antiquiori, & recentiori, æuo conſtructa, per multa viſebantur: nihilquè huiuſmodi à ſuburbanis, caſtrorum munitionibus, & exercitûs noſtri præſidio confiſis, tum expectabatur, qui proinde, nec conuaſare res ſuas, nec in tutiora vrbis loca tranſire aut opportuna ingruentibus malis, remedia quærere ſoliciti; dū præmonentibus etiam refragantur, fidemquè non adhibent; ferè tandem irreuocabili damno, diſpendia ſua ſenſêre doluêreque. Submiſſi quippè ex Præſidiarijs, qui ſubiectis latè ignibus. ædificia incenderent; tum demum incredulis fidem fecêre; cum iam lares ſuos fumare, & non reſtinguendis ignibus corripi, fruſtra ſubuenire laborantes, conſpexerunt. Incen-

dium

dium ergo locis cum pluribus excitatum, inuasit ædificia, in longam ætatem præparata, alimento exinde flammarum maximo: cùm in illa miserabili populi facie, tùm demum facultates, & peculia sua eripere flammis; aut tumultuariò impetu in vrbem transferre festinantis, cuncta passim depasceret; vergente ad occasum die, tantò magis auctum; nocte subsecutâ, horrendis vndiquè ignibus, etiam cum ipsius vrbis periculo, in obuia quæquè deseuijt. Arsêre tum eo incendio, ædes DEO dicatæ complures, suburbana quoquè delitijs hortorum visenda palatia, solo æquata. cumquè ad occidentalem plagam, densis circumquaquè habitantium ædibus frequentem, in qua celebris Arenarum locus habetur, vis quoquè incendij peruenisset; ingentem sæuientium ignium procellam, grandi conflagratione, ventoq; agitatam volueret, Templo, Cænobioquè Arenensi haud dubiè imminentem: hic profectò Carmeli sui Inuicta ab antiquò Protetrix; Arenarumquè portus tutissimus MARIA, vmbraculum ab æstu, sæuissimi incendij facta, admirandam se præbuit; ita, vt in turri illa fortitudinis, aureis æternũ

literis scribi posʃit, *Et in medio ignis non sum æstuata.* Flagrabat eo loci, pars suburbana, cerdonibus maximè inhabitata; apud quos alendis ignibus, & vehementisʃimo cuiquè incendio, materies copiosa promptaquè; ædesquè eorum, cum officinis vastæ, amænisʃimisquè viridarijs, intermixta crebra habitacula, domusq; eleganti structurâ insignes, horrendo latè spectaculo fumantes, vicinis quoquè Arenis ineuitabilem conflagrationem minabantur. Porrò ad corripiendum ignibus templum, Cænobiumquè Arenense, opportunitas multa, defensio nulla; nec si aliqua fuisset, tantæ moli seruandæ, prohibendisquè irrumpentibus vndiquè fllammis suffecisset; cum in proximò, dicto citius, absumerentur omnia; rebusque iam omnino desperatis, vltimi non nisi Cineres, extremæquè desolationis busta restarent. Nihil tamen profecêre, quantumuis minaces vndique & imminentes flammæ, tot simul ardoribus conglobatæ; nocturnaq; illa ignium vorago; cum omnia sacra, prophanaq; hausisset; tabernaculũ hoc, quod sanctificauit sibi Altisʃimus ceu sancta Sanctorum attingere non aula, vim hic omnem-

mnem suam amisit. Dixisses tum Heliam iterũ, cum Prophætarum filijs, curru igneo ferri, nec aduri in eo, ardereque cum obstupesceret quodammodo flammæ, parcerentque loco illi, in quo animarum refrigerium, tantaque, gratiarum, & solatiorum cœlestium, inundatio habetur. Res profectò stupore, & immortali memoriâ digna, Sacellum Virginis cum templo, & toto illo Arenensi ambitu, incendium tam validum, tam indefensum, tam vndique imminẽs, & vicinũ effugisse; nullis vtique humanis præsidijs, nullâ defendentium ope, nullo flammæ, ventorum impetu, aliò agitante casu; nullo denique eorum, qui subijciendis ignibus destinati fuerant, respectu: solâ non nisi Diuinâ per Virginem Sacratissimam impetratâ ope, ipsis etiam obstinatis alias, & contumacibus, hæreticorum mentibus, manifesta. Multorum certè, vulgatâ sub id tempus obseruatione, constantique traditione ferebatur; apparuisse eo loci Augustâ specie, pulchritudineque admirabili Heroinam, latiori amictu niueo, vniuersam illam Arenarum molem, protegentem; & ne communi incendio conflagraret prohibentẽ.

quam vtique non aliam esse oportuit, nisi Matrem Diuinam, loci illius Patronam vigilantissimam; quæ cum in eo beneficam se alijs, sine numero præstet; quidni dilectis Fratribus suis Carmelitis, locoquè illi præ alijs vnicè adamato, ad perennem beneficij sui memoriam seruando, prompta pronaquè adfuisse credenda sit? meruit enimuero id, inuenitquè postea fidē, tanto maiorem ex ijs quæ successère; in quibus præsentissimam Virgineam opem, diuinumq; loci istius genium, confiteri venerariquè, ipsa etiam, quantumuis vecors, & exquisita impietas debuit. Flammæ profectò illæ, sepulchralem, quodammodo Arenis Tuis rogum, iam iam minitantes, nec tamen quicquam aduersi in eas moliri ausæ, protectionis & gloriæ Tuæ æternùm arsūræ lampades fuerunt, ô mundi DECVS, Lampasquè inextinguibilis MARIA! quæ cū vndiquè, collucerent indomitæq; & sinè delectu grassarentur; ad vestigia Tua in Arenis allapsæ, lābere ea innoxio flamine; quinimo contra natiuos ardores suos, refrigerare didicerunt. Stare quondam iussit, ac velut insolidos parietes concretas attolli in altum, maris rubri vndas Moy-

Moyses; donec populus Dei, sicco aquarum marmora vestigio pertransiret. Stare Tu flammas, ad maris Tui Arenensis littora; ac velut in Pharum quandam eleuari, columnamq; ignis, in columnam nubis veteris sibilum auræ tenuis, in electum populum Tuum Carmeliticum, spirare iussisti; vt palam constaret, non frustra Te igneo Heliam vbere, lacteque pauisse; vt nimirum humanis ignibus intactus; diuinis omnia, zelo zelans pro Domino Deo exercituũ succenderet.

ET ignis quidem prohibenti Virgini facile cessit; veneratus eam; cuius admirandũ fæcundæ Virginitatis Hieroglyphicum in rubo ardenti non adussit. cæterum malitiosa & insensata hæresis, ipsis etiam inanimatis durior, & semper ad meliora obsurdescens, venerabilem illam, planeque sensibilem loci adeo sacrati maiestatem, non reuerita; insatiabilis vim elemẽti; violentarum manuum impietate, prophanique & sine Deo, parati ad omnia nefanda pectoris, prærupta voragine vicit, quod facile apparebit ex ijs; quæ post captam deditione vrbem Cracouiensem, intra ferale illud biennium, dolẽda

hoc loci, & admiranda euenêre. Liceat hîc memoriam repetere altiùs, transferrequè ad posteros ea seriè, quam calamitas ipsa duxit ne dissimulatio nostra, argumento sit; beneficia Virginis in aridos sterilesquè animos collata, fructum gratitudinis omnem amisisse: ætasquè posterior exemplis melioribus fraudata, grauem æui nostri incuset oscitantiam: quod neglectu eorum, quæ erigendæ in DEVM, Matremq; DEI fiduciæ, augendæq; pietati opportuna viderat; profectum sibi ex ipsis, animorumquè stimulos, subtraxisset.

OCcupatâ ergo Regni sede Suecus; traductisquè in partes suas vniuersis propè stipendiariæ militiæ Polonæ copijs, rebus quoquè cum delegatis prouincialium minoris Poloniæ, ex voto compositis; cum in Prussiam, quam ille maximè petebat, vt potè Liuoniæ, Transmarinisquè Prouincijs suis viciniorem, & maritimam, arma mouens; rem vbiquè planè confectam, securamq; reliquisset: sensit mox, à Claromontano primum Diuæ Virginis Czestochouiensi propugnaculo, summa arborum vi obsesso, frustraquè tentato; mox à Tyszouecensi

censi fœdere, diuinitùs planè inspirato, tantâq; animorum voluntate suscepto, initoquè, nouã rerum faciem, conuersionem subitam volui, ex qua semel periclitari, & in deteriùs labi res eius ceptæ; variâ deinceps fortunâ nunquam ex toto redintegratæ ad vsquè exitum belli præcipites deuenêre. Exarcerbati quippè, non multò post Prouincialium sunt animi, quod contra transactionis normam, redimendis sacrorum direptionibus, graue lytrum à Suecis imperatum, æs campanarium solui iussum: vexati domi suæ, spoliatiquè nobiles, durioraquè sensim imperata facere coacti; sedes Regni Cracouia, contra deditionis pactionem, ingenti pecuniæ vi mulctata, exarmataq;; illatæ manus sacræ supellectili, præsertim ad Cathedralem Basilicam Cracouiensem designata: distributaq; prophanis hominibus, Ecclesiasticorum bona, grauiora in dies haud dubiè imminere prænuntiarent. Stimulatæ hinc, natiuâ indole suâ, generosæ mentes; quod in alienas manus, integris adhuc viribus, summo gentis opprobrio venerit; disparibus præsertim Suecorum, Polonorùmquè moribus, nec vnquam in perfectum socie-

tatis vinculum còalescere valentibus. cogitare proinde, quomodo iugum, necdum firmatũ excutere; Prouincias Regni, gentium Religione, lingua, habitu, moribus, dissimilium colluuie, exonerare; bellicam virtutis Polonæ redintegrare gloriã; experirique prius omnia, quam intollerabili subiectionis onere aggrauari permisso, ad extremùm opprimi posſent. Cæptum id strenuè, nec diu diſsimulatum, mox in apertum erupit; primumque ex submontanis partibus, præsidiarij Sueci Cracouiæ, sæpiùs intercepti, trucidatiquè; crescentibus deinde animis, palam id militares nonnullæ cohortes ausæ. In sequenti tandem Anno, qui fuit Annus Christi 1656. Tyszouecensis confœderatio proclamata, animos omnium ad meliora erexit; Regemquè Suecum, ex Prussia, magnis itineribus in viciniora Rusſiæ loca aduolantem, graui difficiliquè bello implicuit. Opprimere adhuc ille in herba, conatus nostrorum voluit, maturatoquè aduentu inermes propè, apparatuquè bellico destitutos, facilè diſsipandos confidebat: Sed Deo iam rerum nostrarum miserto, longe alium, quàm sperauerat, armorum

suc-

succeſſum expertus, cæditur paſſim ab illa tumultuaria propè manu, fugaturquè donec in anguſtias confluentium amnium redactus, ex iiſque ægrè, tandem eluctatus; non minus indecorum illum receptum ſuum; quam amiſſam ſub id tempus, ſubſidiariam inſigniorum legionum manum, quæ celebri ad Varcam prælio interierat, doluit. Hac ergo bellicæ ſortis mutatione, iamq; palam infidis vbiq; rebus, & ſuſpectis, Regisq; ſui diſcrimine, tanto grauiùs territi, qui cum præſidio Cracouiæ præerant Sueci, contra imminentia pericula, armare vndiq;, & Vallare Vrbem, caſtella foris excitare, munitiones aut vetuſtate collapſas reficere, aut nouas moliri; Ciuium animos ſuſpectos habere, & quibus minus fidebant, Vrbe pellere, commeatus, belliciq; inſtrumenti copiam prouidere; eaq; omnia ſolicitè procurare, quæ in hoſtico agentibus contra internam externamq; vim, oportuna cenſentur. Maximè tamen ad ſuburbana, quæ incendio ſuperfuerant, demolienda ædificia conuerſi, adductâ eó ingenti operariorum multitudine, vrgere eos ad ſubruenda funditùs, quæ Vrbi viciniora videban-

bantur, cumq; moles alias ædium præſertim ſacrarum, quantumuis defenſioni minus noxias deiecisſent; ad Arenarum tandem excidiū delati; tragicam in eo quæ ſequitur Cataſtrophen, impotenti animo expleuerunt. Imminebat Vrbi, Auguſtum iſtud Diuæ Virginis Sasacrarium, locusq; ei ab antiquò dilectus; & nunquam non ſumma populi deuotione frequentatus Templum illius antiquioris ſtructuræ opus, auctis indies ornamentis ſplendidius, multæq; vel obipſam, vetuſtioris æui memoriam venerationis. Sacellum Virginis recentioris, Architecturæ inuentum, ſecto lapide magnificè ſubſtructum, faſtigio æreis laminis affabrè cooperto; intus varia elegantioris picturæ opera, beneficiorumq; Virginis ſimulachra, oculis ſpectantium artificioſè ſubiecta; omnia iuxta celebritatem, maieſtatemq; loci ſumptu & opere, exquiſito elaborata. Celebritas loci etiam in medio hoſtilium armorum ſtrepitu mira, concurſus, ardorq; populi indeficiens: hic vnicū, & dulce quoddam afflictis, & ab hoſte oppresſis refrigeriū; hîc curarū leuamē, hîc tædioſæ captiuitatis ſolatia, cætuſq; hominū adeo frequen-

quentes; vt torquerēt etiam Suecos, ne in concursibus huiusmodi, secretiora contra se conspirantium agitarentur consilia, metuentes. Decernitur ergo ineuitabilis loco huic ruina; aduocantur ex vrbe operarij: res summo feruore agitur. Concidunt ambulacra, porticus, habitacula Cænobij. templi vasta moles, horrendo impulsu, sensim deijcitur; procumbitquè tandem ingenti subruentium fatigatione conuulsa. Gemit interea populus, oppressâquè metu &, hostiū suspiria, continere amplius non valens, palam erumpentia prodit. Squallor passim, lugubresquè mærentium animi; fuerequè multi quos dolor maximus summa tectorū fastigia in vrbe conscendere, ac velut comploratione publicâ, ad singula cadentium ex alto ruinarū pondera, ingemiscere fecit. Nec dum tamen spes omnis adempta; superfueratquè aliquid, quod bonarum mentium fiduciam sustentaret: quousquè Sacellum Virgineum, à sacrilegis manibus, intactum; ceu compensaret adhuc damna vniuersa, remquè integram faceret, summo omnium gaudio cernebatur. At postquam, nec quicquam deprecantibus, loci

eius Religiosis, frustrâ interueniente Vrbano Magistratu; supplicantibus in cassum, illachrimãtibusq; ciuibus, Sacello quoq; Virgineo vis admoueri cepta; conspectiquè operarij, ad demoliendum illud, machinas conuellendis ædificijs idoneas, disponere, vibrarequè iussi; tum demum effusa omnium lamenta; ac velut in luctu communi oppressi, stupentesq; animi, ipsis etiam hostibus vehementius admirantibus; quod pro eo loco tantus omnium zelus; tantaquè comploratio fieret: quasi in eo solo integritas, & salus publica verteretur. Nihil tamẽ id profuit, ad flectendos hostium animos; quinimo irritauit potius, inimicam sacrarum Imaginum cultui hæresim; quæ vt tanto grauius exacerbaret Orthodoxos; eorumquè pietati illuderet; experiri vires suas, in abolenda sacratissimæ Imaginis memoria voluit: obsurdescensquè ad omnes deprecantium gemitus ac planctus; vrgere quantocius, meditatum loci excidium, implacabili, obstinatoquè animo festinauit. Rem ergo aggressi, qui ad hoc cogebantur fossores; turbaquè populi, ad extortas huiusmodi, detestabilesquè operas, contra mẽ-

tem,suam, vi & minis hostium, damnata; demoliri opus æquè sacrum ac pulcherrimum; æreas fastigio laminas, detrahere, ingentia ex alto saxa vi summâ deturbare; quassare, fatigareque inconcussas, solidiorum parietum moles, ac tandem diu agitatas terræ allidere; omnia immenso squallore situ, puluere, vastitatisquè horrore complere; opusquè illud abominandum, hoste vndiquè instante, ita omnino prosequi; vt in tantis, tamquè coarceruatis in simul, prægrandium fragmentorum ruderibus, Sacræ Imagini deformatæ primùm, & concussæ, mox obrutæ, & consepultæ, ne locus quidem, aut vestigium superesset. Hîc enimuerò animum aduerte, fidelis anima tecumquè reputa; superfuisset ne tibi aliquid, si tum spectasses animi, qui te, in tanto procumbentiũ machinarũ fragore, admirandæ Iconis seruandæ, quântulâcunquè spe solaretur? Actũ omnino de illa tum credidisses; cum exultãte impiâ hæresi, turbo ille præceps; grandinem ex fastigiato opere saxeam in ima voluens, infamem tumulum Sacræ Imagini altius supereminentem coaceruaret; vespillonesquè Sueci, libitinariæ huiusmodi of-

ficinæ, magis magisquè instantes; cùm sua sponte, tùm Arianorum quoquè infernalibus stimulis incitati; extremo tanti depositi, vt putabant occasu, ludibrioquè inexplebiles animos exsatiarent. Sed adesto iterum, & erige animũ; triumphatæquè per admirandã Virginem, hæreticæ impietatis, trophæa, & magnificentiam contemplare! Ac primum illud obserua, Iconem hanc admirabilem, cum in murato templi pariete depicta sit; nullo humano consilio, modoquè transportari aliò, aut tantæ hostilitatis furori subtrahi potuisse; quandoquidem compago illa saxea, summa quantumuis opificum cautione excisa, facile in partes minutiores dissoluta abijsset. Omnibus proinde iniurijs, concussionibus, fragmentorũ ictibus exponi, & subiacere eam oportuit; in illo præsertim tumultuario, festinatoquè demolientium opere; in illo dæmonum hominumquè contra summã loci venerationem conspirantium, iurato odio; quod effrenatâ malitiâ abundare; vel ideo DEVS voluit; vt ex eo immensa eius bonitas, & prouidentia, tanto gloriosius, triumpharet.

AVgustissimus quippe vultus ille Virgineus, vna cum specioso præ filijs hominum, Diuinissimo Nato Suo; in omni illa corruentium lapidum tempestate, horribiliquè ad inuicem collisione; maculâ nec minimâ, aut fissurâ, aut vestigio quantumuis leuissimo, cadentis in præceps grandioris ruinæ notatus; ceu in summa malacia, aut in medio suauissimæ quietis delitio: inuiolatus, integerrimus, Maiestatis solitæ plenissimus, prodigio sanè ingenti, Seruatus apparuit. Alas ibi Seraphinorum, velantes faciem Dominæ suæ, expansas adfuisse; aut immania saxa, ceu grandinem rosarum, liliorumquè suaueolentem, innoxio ad pedes Virginis cultu, procidisse oportuit adorantium certè ritu, ad Sacratissima Diuinæ Parentis vestigia iacuêre; parata potius voraginē abyssi cum Iconoclastis, *quibus mola asinaria vt appendatur expedit*, descendere; quam vel leui atttactu, admirabile illud, Arcanæ Diuinitatis simulacrum, temerare. sed heu! quod abruptis, sæuoquè corruentium vndiquè machinarum casu præcipitatis, surdisquè Naturâ sua, & immanibus saxis, Arcana loci persuasit Religio; vt rudera illa, velut certa quâdam

lege diſtincta, abſquè vlla Sacræ Imaginis offẽ-ſione, ita componerent; ceu arte humanâ, aut Angelicis manibus comportata, non in ferale buſtum aliquod; ſed in Arcum Virginis triumphalem, aſſurrexiſſe, niterentur: hoc in ſcelere ſuo obſtinatis hæreticorum mentibus, manifeſta eo in loco dexteræ Domini, non perſuaſit virtus, admirandorumq; operum ſtupor, & veneratio. Auditæ palàm blaſphemæ inſultantiũ voces; mouentium capita ſua, iocularibuſquè dicterijs perſtringentium, infractam deuoti populi, de eo loco diuinitùs conſeruando fidem: cumque non ſufficeret nimijs ſucceſsibus inflatæ, temulentæquè impietati, os aculeatum ſtrĩgere; ſtrinxit etiam Giganteum, in eos ſceleſtiſſimi facinoris auſùs ferrum; quos hîc referre, tremens palpitanſquè reformidat calamus.

ET ceſſaret quidem, ſuiſquè ſe inuolueret vmbris, indignatione zeloquè contra inſẽſatos plenus; tantoquè flagitio, ritè ad poſteros tranſmittendo, facilè ſuccumbens; niſi ſiluiſſe hæc, & in ſæculorum memoriam non produxiſse; maior impietas foret, quam feciſse. cum ea demum Virginis gloria ſit; quod cum-

Terri-

Terribilis vt castrorum acies ordinata, in ictu oculi vincere potuisset; vsquè ad plagas, & vulnera pro nobis, summè amantium ritu conflixerit: Rē ergo detestandam, vt euenerat, probro impudentissimæ hæreseos, immortalisquè Virginis trophæo consigno. Impijs votis suis iurata Sacrarum Imaginum hostis hæresis, iam potita; cū ridicula omnia, quæ de celebritate miraculorū, ad Sacram Arenensem Imaginem ferebantur, censeret; Sacrisquè ipsius iam prophanatis, & ludibriò publico expositis, omnia sibi in eam licere arbitraretur: cumquè torqueret eam grauitèr, quod nihil hactenus, toto illo funestissimæ demolitionis conatu profecisset; in offensa præsertim admirandæ Iconis specie, tamquè Augustâ Maiestate; quam si non cadauerosam illā molem: sed Regale solium insedisset, ne omnino intentatum quidquam relinqueret; implacabili odio frendens, fremensquè, tentauit ad extremum; si quomodo spirantem adhuc in vultu Virgineo, rediturræ celebritatis vitam, & gloriam, vno velut lethali ictu conficeret.

INuasit stygius hic furor, scelestissimum ex Arianis quendam; quibus transfugarum, in mi-

litia Suecica, frequens numerus, ipſis etiam hoſtibus, ad omnes Sacrilegos auſus, paratior prõptiorquè. is cum animo, nefandum illud facinus deſtinaſset; accedit conſultò locum illum, veneratione omni pleniſsimum; & quantumlibet ipſa loci Maieſtas, horrorquè impium pectus perſtringeret, contra nihilominus tantò impudentiùs, cæcâquè audaciâ ſeſe animans, in ipſo conſpectu Diuæ Virginis, ſummâ loci irreuerẽtiâ, ferox ſicarius conſiſtit. Tum enimuero, nihil commotus, admirabili illâ pulchritudine, ſuauitate, manſuetudine, ac velut blandâ quâdam ne quidquam in ſe violentum tentare, placidiſſimi vultus Virginei admonitione; *ſtricto gladio*; Experiar, inquit, an veſtra MARIA, miracula adhuc faciat? directoquè in venerandã faciem Benedictæ Virginis ictu; immanem illam Sicam altè eidem proh dolor! infigit eandẽ rurſus, atque iterũm contorquens; repetitis veſanâ rabie plagis, dexteram eiũs partem, valide confodit, & conuulnerat, atquè id quidem tanto flagitioſiſsimi operis guſtu; tanto inſultantis dexteræ ludibrio; ac ſi Heroicum aliquid auſus, medias inter acies, in ipſa barbari hoſtis viſcera,

ſangui-

sãguionlentum mucronem adegisset. Ingemuêre qui tum aderant, ex viris Religiosis, & alijs fidelibus, immanisquè spectaculi horrore perculsi: propè diriguêre. cumque sicariũ illum repentino terræ hiatu, haustuquè absorbendum crederent; altoquè Cœlum gemitu petentes, armata in vltionem sydera, identidem prospectarent; ipsis etiam ruderibus, saxisquè auernale facinus detestantibus. Solus ille dirissimi pectoris parricida, securus omnium agere; gaudium ex patrato scelere, non dissimulare; DEVM, Diuosquè nimiâ confidentiâ irritare; ausus suos, contumaci oculo circumspicere; quodquè rem eam impunè egerit, miraculaquè Virginis, sub ictu suo silere fecerit, triũphare. Quid hic animi vobis ô bonæ mentes? Zelantis Eliæ pectora! adhuc ne cælos, sulphur, & vltrices flammas voluentem, continere procellam patimini? ad huc ne non Prophætam tantum, sed Matrem quoquè Domini impunè persequi, impiam Iezabel hæresim sustinetis? quam ex alto turgentis fortunæ, ad infame canum obsonium præcipitari, iam pridem oportuit. sed nolite gemitu vestro contabescere, desolatæ Carmel

turtures; zeloquè pro Domo Domini penitus absumi, & animo liquescere. Ecce DEVS Eliæ; ecce spiritus ignis, & procellarũ, vindictaquè Domini præsto adest. Foris canes, & impudici, nefas impurissimo cadauere, intaminatæ Virginis sanctuarium contaminari. Egredere pauxulũ scelestissima anima; pluet super te vltio ignis, flammarumq; ardentium. Fortè sub id tempus militares Polonorum cohortes; vt eruptiones Suecorum ex vrbe distinerent, futuræquè obsidioni viam pararent; ad vsquè suburbanas hostium vigilias, repentinâ incursione aduolauerãt. cum nefarius ille post inflicta sacræ Iconi vulnera, fidẽti, cõtumaciq; animo, eo loci ageret. Cõclamãt illico socij, ĩminere Polonos, persequi vrgereq; proripit se ille, improuiso periculo cõsternatus, furijsq; intus eũ agitantibus, perpetratiq; facinoris reâ lãcinãte cõscientiâ, cõgredi non ausus, equo perniciori iam iam instãtes Polonorũ manus, effugere nititur. Sed scelestũ nõ vt Pòeta inquit, *Insequitur pede pæna, claudo*; Verũ citatissimo impetu assequitur. Traijcitur à nostris in fuga globo bõbardæ igneo, momẽtoquè occiditur, spurcissimam animam, cruo-

re

re taboquè fluentem, nouissimam Orci hospitem, sub ipsis vrbis mænibus efflans, manifesto vltionis Diuinæ argumento; cum ea in parte, impudici, oris sui, glande plumbeâ ictus interierit: quam in Sacræ Imaginis effigie, parricidali manu, ferroquè confoderat. Corripitur illicò infame, stygiumquè cadauer in vrbemq; à Suecis illatum, illos quidem horrore; nostros ingenti lætitiâ complet: quorum multi sublatis in cælum manibus, immortales Nemesi Diuinæ gratias agere, quod sacrilegum caput, iustas blasphemiæ & impietatis suæ pænas tulerit; infeliciquè experimento suo, serò tandẽ didicerit, miracula Virginis, etiam inter rudera, feralemquè hostilitatis tumulum non cessasse.

Discite impij Iconoclastæ, Sacras Diuorũ, ac præcipuè Diuinæ Matris Imagines cordi curæquè Deo esse. Obturate os fætidum blasphemijs, & ludibrijs insolens: *Deus, Diuaq; Mater non irridetur.* Manet sua irrisores decretoria hora, in qua *Dominus subsãnabit eos.* Ecce indomitus ille, furensquè Sacrorum contemptor momento cecidit, factusquè infernalis titio, putido infelicis animæ cadauere, æternos ignes succẽdit. stat-

què adhuc, ſtabitquè æternùm, riſus in ore eius blaſphemo ſardonius, profuturis nunquam̃ lacrymis, ſtridorequè dentium commutatus. Recidit in caput eius plaga inſanabilis, quà Virginem æternam, in effigie ſua conficere voluit. manſêrequè plagæ illæ, & vulnera, ad quorum conſpectum, tanti deteſtatione ſceleris, ipſæ etiam cohorreſcat auernus; tremat, & expalleſcat hæreſis, ſtupeat & extra ſe rapiatur deuota mens: atq; in hoc indelebili cicatricum charactere legat, & intelligat; quanti locum hunc, Diua Virgo fecerit; in quo configi potius, & ſauciari maluit, quam vel ad minimùm cõmoueri.

GRaue id, & intollerabile Suecis; ac omni illi, quæ deinceps cum Tranſyluano venerat, barbararum gentium ſentinæ; eoquè conuertit, diris agitatos, furenteſquè animos, vt cum locum hunc, ad perpetuam abominationem damnatũ, ſine nota, veſtigioquè relinquere decreuiſſent; omnẽ execrandæ prophanationis modum, ad id perficiendum adhiberent. Præter vaſtitatem ergo, horroremque ruinarũ ſanè ingentium: præter feralem tumulum Imaginis Sacræ ſuperpoſitum; deſtinatur ad extre-

mum locus is, infami morticinarum carnium sepulturæ; equorum præsertim fædis, putidisq; cadaueribus: quorum obsessa per Georgium Lubomirscium, Marschalcum Regni, summũ Marte Togâq; Virum, integro propè semestri vrbe, rebusquè Suecorum, ad angustias redactis: cum ingens quotidie numerus, sæuiente hyeme, pabuloquè deficiente augeretur; ad exonerandam teterrimâ illuuiè vrbem huc, potissimum, omnis illa spurca fætensq; mephitis extracta, poiectaquè horrendo aspectu, fætoreq; intollerabili omnia compleuerant. Nec aliud egisse tum visa hæresis; quamquod Hierosolymis olim, vesana Iudæorum, Ethnicorumquè impietas, detestando præcessisse exemplo fecerat. cui, cum non suffecisset, Crucem Domini, instrumentaquè pasionis, altius defodisse; memoriamquè loci, & vestigium omne Christianis ademise: ad maiorem insuper, Sacratisimi loci contumeliam, fideliumquè deuotionem, extremâ hac abominatione auertendam; simulachrum illic spurcisimæ veneris erexit, magno quidem Christianorum gemitu; sed non ideo, Crucis Christi, lociquè illius extinctâ; quini-

mò gloriosius deinceps reuelata, & in orbis vniuersi triumphalem, per Helenam Constantini matrem, productâ celebritate. Non absimilis hîc quoquè iuratæ hæreticorum malitiæ euentus, cuius omnis illa ad prophanandam Arenēsem gloriam, instructa peruersitas, eo tandem recidit; vt cum omnia tentasset, quæ abolendo eius nomini, honoriquè profutura sperauerat; illud ad extremùm, aliud agens profecerit; vt ex omnibus illis, tanto augustiùs triumphaturæ Virginis gloriâ; ceu Phœnix ex cineribus suis, Nouâ pulchritudinis specie, ac velut redintegrato spiritu nasceretur.

VIsebatur busti illius eâ tum facies; quæ cōfidentiùs etiam sperantes, hærere in animo, vacillarequè cogeret: hostes verò ipsos resuscitandæ aliquando pristinæ loci illius celebritatis, desperatio tanta cæperat; vt cum Gubernator vrbis Præsidij Suecici præfectus, Paulus Wiertcz vir alias acri iudicio, vetusquè militiæ, sed turpi Caluinismo infectus, ad videndam operariorum diligentiam, qui iussu suo Arenensi ruìnæ tum instabant, ex vrbe tūc processisset; obuiumq; fortè eximiū virum, Ioannē Chrysostomum

stomum Proszowski, arte Appellea clarũ haberet: ceu nihil iam omninò spei superesset; furorquè suus hostilis vicisset iam omnia, cum insul, tatione quâdam, compellans eum dixerit: *Imamago vestra iam sepulta est.* Cui subito quidẽ nõ absq; Diuino quodam instinctu, ceu futurorum con, scius respondit ille. *Sed breui resurget.* Quæ vox perculit vtiq; Virtzij pectus, sed nõ ideò furorẽ mitigauit; cũ spem huiusmodi, desperatis Poloniæ reb9, ridiculã omnino, somnioq; proximã apud se haberet. Quin & multi alij, ex hostibus, irrisêre fidem, votaquè sperantium; quorum non nemo ex præcipuis militiæ Sueciæ contemplatus, horrendam loci desolationem, extremumquè propè occasum; Religiosis ex Sacra Carmelitana familia, qui tum aderant dixisse fertur: *Si Imago hæc vestra, inquit, & locus hic celebritati suæ pristinæ restituetur, ego fidei, quam profiteor abrenuntiare; & fidem RomanoCatholicam illico amplecti, ac sequi perpetuò paratus sum.* In tantùm scilicet, decor ille Carmeli deformatus, & inter cadauera immunda proiectus, tum cernebatur; vt restitui eum aliquando posse, omnem propè cogitationem humanam effugeret. Sed ô tuam Carmeli Rachel, fortissimaque Iudith inuictam gloriam! quæ Sisaram, Holo-

fernemquè inimicarum gentium principis, nimiâ spe ebrios, altoquè fortunæ somno grauatos; Alterum clauo tabernaculi Tui, mucrone vindici alterum, ceu fortes crapulatos à Vino, æternum sopiuisti. Exue iam Te, vestimentis viduitatis Tuæ; quia Dominus induet Te vestimentis iucunditatis, & imponet mitram super caput Tuum, dabitquè dextrariola, & lilia in manibus Tuis; vt in comparabili decore omnibus ad miraculum appareas. Imus iam nūc ad contemplandum, ô honorificentia populi DEI, quem Dominus ampliauit, splendorem Tuum! quantumquè gloriæ ex ruderibus illis, ex omniquè situ, & squallore illo, quantum Tibi accesserit Maiestatis: recogitando prosequi volupè est, vt habeat spes fidelium gaudia sua; sugatquè mel ex saxo durissimo; quod illi dura hæresis obiecerat: ad quod cum ipsa impegerit; quidni cæco fortunæ impetu, eat in orbis ludibriū? sinapiquè suum mordeat, quoties huc, vel in vita respexerit. Cum enim post immanem illam Rakocij Principis Transiluani lanienam, quâ ille in obuia quæq; ferro & igni dira & inaudita crudelitate sæuijt; cum ad initium

Anni Christi 1657. superatis montium Carpathicorum angustijs, cum subsidiaria Cosacorũ manu, releuandis in Polonia Suecorum rebus, soluendæquè vrbis Cracouiensis obsidioni veniens, post atrocissima portentosæ immanitatis per Cosacos præsertim editæ exempla; ad vltimam tandem cladem suam infamequè excidium; properaret Serenissimus IOANNES CASIMIRVS, cum Polono & Cæsariano exercitu ad obsidendos in vrbe Cracouiensi Suecos & Vngaros accessisset; illicò Regina quoquè Poloniæ, Virgo Sanctissima, inter ferias illas Iulij Mensis, quæ celeberrimã Visitationis eius Memoriam; annuâ festiuitate recolunt; ad restituendum Arenarum suarum decorem ceu ad montana gloriæ suæ festinauit. Obsessa sub id tempus vrbs, arctèquè vallata, à nostris tenebatur, excitata inter crebras hostium eruptiones, cruentosquè conflictus castella, producti ad vrbem militares accessus, mæniũ pars Casimiriæ tormentis bellicis concussa, dirutaquè, cumq; hostis valido militari præsidio fidens; apparatuquè bellico, & ad tolerandam diuturnam obsidionẽ, grandi commeatu instructus, pertinacem animum cir-

cumferret; omnia ad eius frangendam potentiam, vrbemquè vindicandã opportuna disponebãtur. Non cessabant interim piæ animæ, supplices in Cælum manus tendere; ac præcipuo affectu, ingentiquè fiduciâ, ad violeti Arenensis miraculosam Virginem ferri, cuius tum consepulta licet Maiestas; memoriam tamen, & venerationem sui, bonis mentibus non excusserat. quinimo in illo etiam ferali tumulo, quod mox referemus, apparuêre vestigia identidem eo ventitantium supplicantiumquè Virgini, vt tandem Poloniæ suæ miserata; confringeret arma, scutaquè combureret igni, auferensquè bella solita in Arenis faceret prodigia. Grata hæc Virgini fiducia, ac velut vrgens quædam, Hæroicaquè pietas quæ cum vrbis liberandæ gratiam, à filio impetrasset; vt gustum bonæ spei, suauissimamquè futuræ consolationis portionem præmitteret; ipso celebri Portiunculæ festo, de Rakocio memorabili victoriâ à nostris profligato, lætissimum in Castra Regia afferri nuntium voluit. Conciderat is iustâ indignatione Diuinâ truculentiæ pænas luens; cum eum Stephanus Czarnecki Bellatorum æui no-
stri

ſtri facilè princeps, cum alijs fortiſsimis Heroibus Polonis aſsecutus, deſertum à Coſacis, fuſumquè prælio, ad eas anguſtias redegiſset; vt poſt acceptas duriores conditiones; ſibi, & reliquo exercitui incolumitatē pactus; graui lytro promiſso, & obſidibus datis, ad propria recederet; quod quidem illi ſoli magno noſtrorum periculo, vix contigit; cum ſuperuenientes Tartari, vniuerſo ipſius exercitui circumfuſi, totam illam caſtrorum eius multidinem, ſcelere ſuo, & innocuo ſanguine Polono contaminatā, in Tauricam abegiſsent. Eo itaquè nuntio in Caſtra Regia allato, totis eâ nocte caſtris triumphatū eſt; tormentis primùm maioribus, ac mox quotquot in caſtris aderant minoribus, bombardis latè perſonantibus; clangoreq; tubarum vndiquè audito, quæ quidem repentina in caſtris noſtris triumphi ſpecies; Suecos, & Hungaros in vrbe nihil minùs ſperantes adeò, perculit; vt multi ex ijs, ſtationes ſuas deſeruerint, totâquè nocte incerto terrore fluctuantes, vix tandem ſub ipſum diluculū fatigati conquieuerint. Inclinatæ exinde Suecorum res, cum allatis à Rakocio ad præſidium Tranſyluanicum, vt vrbe

cederent, literis; tanto ipsius casu consternati Hungari, ac Sueci (cum horum etiam Carolus Rex, ad tuenda contra Daniæ Regem propria, in Sueciam abijsset;) consulere sibi, deditionẽquè vrbis seriò agitare cæpissent. Hungaris ergo primùm, vrbe excedentibus, Sueci quoquè numero, & viribus diminuti, exeunte Mense Augusto, vrbẽ, quam biennio propè possederant, in manus Serenissimi IOANNIS CASIMIRI dedidere. Restitutâ hoc modo sede Regni, restitutam quoq; Sacræ Imaginis Arenensis gloriam, sedẽquè Augustissimæ Virginis ex ruderibus suis, nouo splendore, & magnificentiâ consurgentẽ, videre fuit. vt enim primùm liberè, commodèquè, Sacrum illud tumulatæ prout putabatur, Imaginis mausoleum, adire licuit; scrutariq; inter informes, squallentesq; ruinas; si quæ fortè primæuæ gloriæ mansissent vestigia; certatī eò cum multi, non ex plebe tantum, sed ex selectioribus; tũ ex Patribus quibusq; Carmelitis viri eius loci præcipui confluere; lustrare omnia obseruarequè; summo desiderio, releuandæ quãtocius Sacræ Iconis ferri; præire deuotioni populi, inflammarequè affectuũ intima, expectatione

tione longiori detenta: nec prius anxiâ, feruẽtiquè curâ quiescere, donec in tumulo illo, triumphale Virginis decus assurgens; nouam Arenarum gloriam reuelaret. Enituit hac in re insignis curâ, zelusquè plane Helianus Adm̃ Rñdi. Patris Serapionis Knyper. S. Th: Magistri viri ob excellentes animi dotes, sanè cultissimi, Prioris eius loci, post Suecicam tempestatem, ac deinceps eiusdem Ordinis Prouincialis Poloniæ dignissimi; qui cum fortè ex Italiæ partibus, Suecis iam vrbe Cracouiâ potitis rediisset; hoc loci subsistens, toto deinceps funestissimo illo tempore, cum ea cura; quæ inter hostilitatis iniurias haberi potuit, ab eo non recessit, magnamq; partem doloris, publici ad bustum Arenense exsorbuit; quousquè admirandum illud depositum in manus iterum Carmeliticas veniret. Obseruauêre igitur, qui tum primi cum eo tumulum illum conscenderant; quidnam rerum circa Sacram Imaginẽ ageretur? exploraturi crebris hominum vestigiis tritam, quæ per confragosa ruderum ad Imaginis locum duceret semitam, quam conspicati, non sinè dulcibus quibusdã lacrymis gauisi sunt;

non defuiſſe ſuos Virgini Sanctiſsimæ cultores, qui inter acerrima hoſtiū odia, negatoſq; aditus, non tam humanos figere gradus, quam repere potius, & eluctari videbãtur; dum viſendæ Imaginis ſtudium continere nequeunt. Ductu hoc veſtigioquè pietatis, ad ipſum venerandæ Imaginis locum delati, rei omnino admirandæ inexpectato gaudio ſtupent; vixquè oculis teſtibus credentes, ſuæ ipſi lætitiæ ſuccumbunt. crediderant illi inter prægrandes lapidum fragmẽtorumq; aceruos, qui omnem illum ambitum; altiori mole cooperuerant; maioris negotij curas ægrè ſuffecturas, vt genuinus Sacræ Imaginis locus inueſtigari, commoditatiquè venientium patere poſſet, ipſam verò Imaginem aut omnino concuſſam, aut deformatam, aut ſaxis cadentibus comminutã putauerant, cum ecce admirabundi, vixq; ſui compotes, intuentur Diuinos Benedictæ Virginis vultus, abſquè vlla ope humana, omni illa ruderum mole ſuperiores palam apparere; nec quidquã de Maieſtate priſtina, cæleſtiquè decore remiſiſſe.

EMinebat Auguſta illa facies in ſumitate feralis tumuli, abſq; vlla tantæ concuſsionis

nota,

nota, vestigioquè tam integra, tã illibata, quam alias semper Diuina, venerãdaq; ac præter cicatrices illas, vesano scelesti sicarij furore inflictas, spectabatur fulgida, vndiquè decora, & amabilis, stupore omnium, vel exinde maximè aucto, quod, cùm contra omnes imbrium, niuiũ, procellarumquè iniurias, prostaret indefensa; nec tantillum quidem à consueta summæ gratiæ dignitate, pulchritudinequè recesserit. visebatur quidem appensum illi; vile quoddam lacerum, tritumquè linteolum; quo non nemo ex pauperibus fortè contra cæli iniurias, venerandum illum vultum operuisse voluerat. Sed illud certè tanti non erat, vt in loco vndiquè aperto, & exposito, contra Sarmaticas niues sæuissimasq; tempestates, quidquam proficeret; nisi Angelorũ Dominæ, Cælestis illic militiæ obsequia vmbræq; alarũ Domini adfuissẽt. Sub hoc squallenti linteolo, condebatur Maiestas illa, cælo terræquè veneranda; excussitquè lacrymas vberes spectantibus, cum recogitarent, quorsum tandem, prisca illa Sacelli Virginei magnificẽtia, cultusquè Sacræ Imaginis venisset? quo illa metalli omnis pretiosi ornamenta abijssent?

cum Reginæ Cæli Conopeum, vnicâ non nisi vulgari consumptâquè veterno telâ, constaret. Vicit tamen dolorem, vis gaudij planè immensa, stuporquè continuus; quod sub informi illo operculo, lateret thesaurus omnino inæstimabilis, ingenti bono, solatioquè publico conseruatus; ex satiariquè non poterant aspectu illo dulcissimo, quotquot tunc aderant, miraculum id sanè maximum reputantes, totoquè affectu ad agendas DEO Immortali gratias, triumphalemquè magnæ Virginis gloriã, magis magisq; exaltandã conuersi. Præiuit ad hoc insigni pietate, zeloquè, Reuerendissimus Dominus Nicolaus Oborski Episcopus Laodicensis, Suffraganeus, Archidiaconus, & Officialis Generalis, atque sub id tempus Administrator Episcopatûs Cracouiensis; qui pro eo, quo, in locum hunc, singulari fertur affectu; octaua Septembris, ipso nimirum Natali Virginis Sanctissimæ die, natales rediuiuæ, iterum Arenẽsis gloriæ celebrans, primùm hîc in illa adhuc informi vastitate, bustoquè tremendum altaris Sacrificium DEO Immortali obtulit; miro omnium gaudio & plausu, quod ab eius felici auspicio,

ſpicio, qui non minùs in gentilitio Oborſcianæ domûs ſtemmate, quã in animo candidiſsimo, pietatis & ſanctimoniæ, ac miræ in omnes humanitatis lilia præfert; refloreſcere inter ſpinas ruderũ Virginea Carmeli lilia cernentes, quam ne Salomon in omni gloria ſua induit pulchritudinem breui habitura præuiderent.

CVra deinceps omnium eo præcipuè incubuit, vt locus ille ſitu, ſqualloreq; ſuo quãtociùs vindicatus deuotioni eo concurrentium adaptaretur; ligneaquè primùm ædicula, protegendæ vtcunquè Sacræ Imagini, ſubito opere facta, mox aduocata operariorũ manus; quæ ingentibus ruinis ocyus expurgatis, condendo iterum Sacello Virgineo, locum faceret, admirabili omnium feruore, ſedulitate, operarumq; acceleratione, rem voto publico deſideratiſsimam, breui perfecit. Ceſsit exindè triſtiſsima illa, buſti Suecici facies, abolita informis ruderũ vaſtitas, lacunæ illæ, immunditiæquè hoſtiles expurgatæ; prophanatiò omnis priſtinæ Sanctimoniæ reddita, concurſuq; populi magis ac magis inualeſcente, conſilium de Sacello Virgineo longè auguſtius excitando, ſeriò agitari

cæptum. Opportunè verò ad id ſubuenerat, tum inſignis liberalitatis Magni olim Præſulis, & Senatoris Patriæ, Petri Gembicki, Epiſcopi Cracouiẽſis, Ratiboriæ in Sileſia, hoc ipſo Anno 14. Iulij defuncti; qui cum reſtaurationi Ædiũ Sacrarum Cracouiæ per Suecos deſolatarum certam vim pecuniæ, ſupremæ voluntatis tabulis aſsignaſset; Sacro quoq; huic Arenarũ Virginis loco, quem impenſiùs dilexerat, non modicum tantæ moli inchoandæ adiumentum, teſtamento contulit, Cæptum hoc modo, piâquè aliorum munificentiâ adiutum, Sacelli Virginei opus, incredibili omnium gaudio aſſurgebat, cum interim reliquæ templi, Cænobijquè ruinæ amouerentur, feruente non minùs operarum proceſſu; quam pietatis ſtudio; dum cõfertiſsimis vndiq; agminibus, eo concurritur, aliis lacrymas ex aſpectu cõuulneratæ Imaginis, ſummâquè loci deſolatione, non tenentibus, alijs in gaudia, ſtuporẽq; ob eandẽ Sacrã, Iconẽ ſtupẽdo ſanè priuilegio diuinitùs conſeruatam; omnibus in applauſus, feſtaſquè acclamationes, ob Sacelli Virginei, longè magnificentius conſurgentis, apparatum, effuſis. Acceſsêre ad hoc

zeloſi

zelosi pariter ac diserti, quorum Cracouia ferax est, Oratores Ecclesiastici, quibus è suggestu detonantibus, ac nunc, de inflictis Benedictæ Imagini plagis; nunc de eadem ingenti miraculo conseruata, nunc de perpetua Virginis, sub tempus hostilitatis, circa sedem Regni cura, eiusquè tutela, summâ ingenij, pietatis, Sacræq; eloquētiæ vi, verba facientibus; admiranda in omniū pectoribus, erga Sacrum hunc locum, exarsêre studia, vt iam ruderibus illis, nihil gloriosius palam habitum; in loco quantumuis capaciori, crescentem in dies congratulantiū Virgini frequentiam, non caperet.

APparuit tum demùm, quàm locus hic verè sacer; diuino quodam genio humana omnia vicerit, & quā illi celebritas ab antiquò, omninò congenita sit, nullis vnquam etiam infernalibus furijs auertenda. Nam quidquid olim in eius insigni gloria magnificum, & admirandū spectauimus; concursu non inferioris tantum populi numerosissimo, sed Regum quoquè Poloniæ, Episcoporum, Principum, Dynastarum, solenni eiusdem, loci visitatione, & exoluendi voti causâ, religioso eius, perenniquè cultu, to-

tum id longè amplius, & feruentius auctum, ab ipſo hoſtili ſcelere, conſeruatæq; Imaginis prodigio, maiori apud omnes animorum propenſione, cæleſtiq; haud dubiè tractu inualuit. Teſtatum id facit, & ſolenne illud Octiduum, quod hîc Viſitanti Eliſabethã Virgini, Sacrum incredibili deuotione, & frequentiâ, vt ſemper floruit, ita ne quidquam de priſco feruore poſt ſæuã hoſtilitatem remittens, ſummâ in dies celebritate effloreſcit. Inſtitutæ hîc antiquitùs, ſolennes per totam Octauã Proceſſiones, ad hanc vſq; diem florent celeberrimæ, quæ ex omnibus Sodalitatibus Religioſorũ Ordinum cætibus, Collegiatis Eccleſijs, inſigni apparatu, magnoquè numero, huc conueniunt. Deſcendunt quoq; huc intra eandem Octauam, Solenni proceſſionis ritu, Prælati & Canonici, ac Vniuerſus Clerus Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis, cum ſuo Illuſtriſſimo Antiſtite, ſi tum præſens Cracouiæ fuerit aut eiuſdem Suffraganeo inſignẽ loci Arenenſis Celebritatem, deuotiſsimo hoc cultu, & publicis ſupplicationibus conteſtantes, vt iam ſupereminens quædam, cladequè omni maior, loci huius prærogatiua, & continua in eo

Diui-

Diuinorum operũ Maiestas, in eam deuotæ admirationis vocẽ, erumpere nos cogat. Vere hîc non est aliud, nisi domus DEI, & porta Cœli! contra quã, portæ Inferi non præualentes, quidquid istud sceleris & vltimi exitij intentauerant, in gloriam Virginis cessisse frustra indignantur. Atq; hæc est renouata in Arenis, Augustissimæ Virginis Maiestas, triumphatæquè hæreseos trophæum immortale; cuius magnificentiam, splendoremquè, æternæ hæreticorum confusioni, piorumquè solatio, maximus ipsa loci thesaurus, sumptu plane augusto, quotidiè promouet, non structuræ tantum opere pulcherrimo, sed viuis quoq; lapidibus; florentissimâ nempè Sacræ Carmelitarũ familiæ Coronâ; cui quidquid eximiâ indole selectum, religiosæ vitæ obseruantiâ, compositum, sacrarum disciplinarũ profectu eruditum, & singulare est; insigni numero & ornamento; prouidet, ipsa & subministrat. Gaudio sanè incomparabili cum omniũ Carmeli Mariani Ascetarum, tum præcipuè Adm̃. R. P. MARTINI CHARZEWICZ S. T. Doctoris, eiusdem Ordinis Prouincialis, Poloniæ meritissimi; Viri non minùs insigni pietate, quã

ſtanti eruditione, & ſummâ animi humanitate ornatiſsimi; qui vt gratiarum Virginis, gratũ ſe ac memorem, cum vniuerſo Sarmatiæ Carmelo præſtaret; Arenenſem eius gloriam ſcripto hoc comprehenſam, promulgari, iuriſquè publici fieri voluit. dignus ſanè, cuius pietas in hoc, & cura ſingularis, optimam laudem, & commendationem ſpiret immortalem; quod eo potiſsimum procurante Violetum hoc Diuæ Arenenſis odoratiſsimum, vmbris ſuis erutum, tantam in luce publica immortalis memoriæ ſpiret fragrantiam. Cæterum vt ex miraculorum gloria, poſt tempeſtatem Suecicã, nihil omninò Sacro huic loco deceſsiſſe; quinimo celebritatem eius, tantò magis inclaruiſſe conſtet: tranſeo nunc ad eâ, quæ Annis deinceps conſequentibus contigêre miracula, vlteriori contextu recenſenda.

AC primum, inter alia complura, occurrit illud, quod contigit, Anno Chriſti 1659. die 30. Maij inquo, vt tanto maiorem in ſe omnium fiduciam animaret Virgo, reſtituto vitæ ſpiraculo, mortem profligans, viuere ſe, & triumphare, in Arenenſi trophæo oſtendit. Oppreſſerat

tunc

tunc forte, præcocioris fati vis, teneriorem puerum, famati Casimiri Wroblowski filium, sesqui horæ spatio, in faucibus mortis hærentem. Effusus proinde in lamenta parentum amor; sed non minùs in affectũ fiduciæ plenissimum, quo cum in Virginem Arenarum miraculis gloriosã feruntur; ad implorandam eius opem, momẽto confugiunt, suspirantq;. Ac vt triumphans ex hæretica impietate Virgo, spolium quoquè morti eripiens, vitæ restituat; profusis lacrymis precantur. Adest illa, impuræ hæreseos ludibrijs exagitatam, celebritatem loci, nouis illustratura miraculis, contemptumquè gloriæ suæ decus dexteræ Domini brachio vindicat, & asserit. vix dum enim suspirauêre mæsti Parentes, confestí puer ille, nouo vitæ spiritu animatus, reuixit; oblatusquè ad aram Virginis, miro Parentum gaudio, & affectu, omnium animos exhilarauit. Iuramento id deinceps à Parentibus comprobatum, relatumquè inter alia miracula, magnã reliquis fiduciam dedit, fontemq; vitæ aperuit.

ANno siquidem Christi 1660. 26. Aprilis clarissimo iterum documento Matris viuentium gloria effulsit. Haustus aquis Rudauæ fluuij, (qui

Arenensi Cœnobio loca alluit) puer quidam, moxquè vndarum vehementiâ suffocatus, cum iam exanimis, quo eum aquarum impetus ageabat, versùs vicinum loco illi molendinum, præceps raperetur; conuolantibus eo, qui succurrerent, nec tam facile subuenire valentibus, ad ipsam rotam molendinariam, vix tandem aquis ereptus, miserabile omnibus; ac præcipue Parentibus suis spectaculum exhibuit. Amissa vitæ spes omnis; nec iam aliud restabat, nisi vt corpusculum illud exanime aquarũq; præcipitio concussũ, tumulo suo conderetur. Sed inuicta Parentum spes, nihil minus, quam de tumulando puero cogitans, rapitur calentiori, quo intus agebatur spiritu; puerumquè extinctũ Virgini Arenensi, summâ fiduciâ sistit. Procurauerant pij Parentes tremendum Altaris Sacrificium, pro impetranda filio vita, ante Sacrã Iconem offerri; cui dum assistunt, crebroquè in Cœlum gemitu suspirãt; eo ipso tempore, quo Sacratissima Dominici Corporis Hostia, populo spectanda eleuari consueuit; Corpusculum illud prodigiosè animari, vitæquè restitui conspiciunt. Fit stupor, gaudio mistus, ac deinceps gra-

gratiarum actio publica omnium, dum puer ille, aliquot iam horis, mortuus vitæ iterũ redditur, admirandæquè Virginis, nouo prodigio adauget. Superstitem eum cum, Parentibus suis, in loco Arenis vicino, habet hucusquè ætas nostra; gaudetquè beneficiorum Virginis, spirantem in eo memoriã viuere, cum non aliud de Matre viuentiũ, hoc loci benefica, quã quod restituto spiritu vitæ constat, viuacius: sit oraculũ.

ANno eodẽ 16. Iulij Elisabeth Popiołkowa Ciuis Cracouiensis, grauiori morbo correpta, humanisquè remedijs minùs fidens, cum se totam ad Diuina conuertit, inter conflictationes ingrauescentis ægritudinis, ad Virginem Arenarum, miraculis celebrem suspirans, quãtocius hanc in rem Sacrum coram eius Imagine Missæ officium, recitari procurat. Desierat vixdum, sacra altaris oblatio, cum illa se melius valere sentiens; ad soluendas ex voto DEO, Matriquè Virgini, grates festinat. Comparuitquè supplex testata publicè, quantũ sibi implorata ex eo loco, magnæ Virginis suffragia profuerint; quæ eam, fiduciâ in se firmiori hærentẽ, erectamquè, dicto citius, noluit infirmari.

ANno eodẽ 5. Ianuarij, par quoquè fiducia famatum Matthiam Markowſki, cum Tereſsia Conſorte ſua, non diſsimili ſolatio gaudere fecit. Conſtantinum illis filium, valida ægritudo adorta, iam propè ex manibus, & complexu extorquebat; cum illi non amplius differendum rati, contra vim morbi, ad portum ſalutis Arenenſem, voto, facto, confugiunt. Delatus ad Aram Virginis puer, cum interim pro eo Sacra Altaris victima offeretur; ſanus valenſquè, Parentum ſinu excipitur. Quibus gaudia ſua non tenentibus, actæ ſolennes DEO, miraculorum per Virginem Auctori gratiæ, momẽtoquè ſanatus, & inter brachia parentum luſitans Conſtantinus, ſpem fidelium in Virgine conſtantem, maiori firmauit momento.

ANno Chriſti 1661. die 11. Octobris. Cadentibus ex alto opem, Virginis, mollem culcitram eſſe; præceps dum labitur, caſu innoxio puer; ſi non ſaxeis hæreticorum mentibus, ipſis certè ſaxis, ad quæ allidens non offendit, facile perſuaſit. Erat is, filius Simonis Zelaſkowic, incolæ Cracouienſis, ex ea quæ ad Xenodochium Sancti ſpiritûs, ducit platea; qui cum in ſuperio-

periorem Ædium partem, puerili leuitate, fortuito euasisset, ibidemquè seu insolentius quidpiam agens, seu ex alto incautius prospiciens, Parentibus inscijs moraretur, è suprema tandē contignatione, ipsi tecto vicina, deorsum momento labitur, Matre ad vocem eius subito exterritâ; quæ dum erumpit, tristemquè casum infelix conspicatur; prouoluta illicò gemensq; Admirandam Arenarum miraculis Virginem, magno eiulatu implorat, puerum omnino comminutum, iamquè exanimem putans, nec quid rerū circa eum ageretur, præ dolore aduertēs. Interim, non nihil releuata, conspicit puerum, saxis allisū, quidē cæterū nihil lethale præferētē, quinimo stupentibus cunctis, viuacem, & incolumem, ac mox infra quatuor dies perfectè sanum, cum horrendo illo præcipitio, momento eum comminui extinguiquè oportuisset, In Arenis ergo cum Parentibus suis puer ille, comparens; positâ ad Aram Virginis, votiuâ tabellâ, rei gestæ depictam memoriam referente, Matrem vitæ suæ, in cuius sinu suauiter recubuit, Virginem Sanctissimam confessus est. Idem mysticè, cum innumeris quotidie peccatoribus

fieri probans; quos ex abyſſo peccatorum, in abyſſum æternæ damnationis ruentes, non alia, niſi quæ Redemptionem orbis geſtauit: Benedictæ Virginis, manus ſiſtit.

ANno eodem die 12. Octobris. Quantum contra lethales febrium æſtus, Arenarum refrigerium, columnaquè nubis Carmeliticæ valeat, R. D. Adamus Lagocki; Eccleſiæ Cathedralis Cracouienſis Præbendarius, & Conſiſtorij Inſtigator, teſtatus eſt. Præſentiſsimum illi à febre maligna, vitæ periculum, vis morbi, magis magiſquè exardeſcens ferebat. Iamquè vt breui perimeret, intenſis caloribus æſtuans, auraſquè vitales excoquens, ex flammis interioribus, inimicos vitæ cineres minabatur. Contra præcipitem igitur hærentemq; intra medullas, ac inſtantem violentis ignibus hoſtem inſtantius ille aquas refrigerij, marequè gratiarum Arenenſe ſuſpirat, atque inter immodicos febris malignæ ardores, Virginis Sacratiſsimæ opem implorat ardentius. Prætendit illa ſubito æſtuanti vmbraculum ſuum, roridiſquè gratiæ imbribus, deficientem refrigerat; cum illico febre malignâ ceſſante, redit priſtinus valetudinis vigor

gor, exustasquè medullas, lenis quædam vitaliũ spirituũ aura permulcet: ab æstu itaquè maligno liberatus, optimo æstu desiderioquè adimplendi vota, ad Arenas Virginis quantocius fertur: ac ibi coram Sacra eius Imagine, Missâ ex voto dictâ, testatur palàm, se beneficio Virginis ex ardentissimæ febris, lethalibus flammis ereptũ, viuere, valerequè; vt tanto deinceps calentius eam colat, ametquè, quæ humanos vel ideo extinguit ignes, vt corda hominum DEO, *Qui ignis consumens est.* castisquè amoribus suis Mater amabilis inflammet.

ANno Christi 1662. vt se speciali Priuilegio, Spõsam spiritûs sancti probaret Virgo, pro eius solemni festiuitate, insigni miraculo honoranda, zelauit ardentius. Contigerat tunc fortè, in villa Młodzieiowice; quæ Cracouiæ vicinius adiacet; vt cum celebre Pentecostes festum aduenisset; ad excipiendum tantæ Maiestatis hospitem, villani quantumuis Parentes, maiori deuotione præparati, in illa festinatione, quâ ad tẽplum iter accelerant, domi relicti paruuli filioli, obliuiscerentur. Traxit illa deuotio, eius diei moram, produxitq; in alteram vsquè diem; Paren-

rentum à domo abſentiam. Cum interim puer ille relictus, alimento opequè omni deſtitutus, tædioquè parentum conſumptus, Deo ita permittente, extinguitur; parentibus nihil minùs, quam de filij fato tam præcoci cogitantibus: rediêre tandem die ſequenti, ſolatia, filio diuturni tædij, cupediaſquè pueriles, ex ſolennijs ferentes; cum vix domum ingreſſi, puerumq; mortuum conſpicati, lamentis viciniam omnem, grandiquè eiulatu complent; ſupinamquè negligentiam ſuam ſtuporemquè tam anxiæ & extremæ obliuionis incuſant. Inſpirante nihilominùs diuiniſsimo Pneumate, in cuius, feſtiuitate deuotè celebranda, id eis acciderat; ad exanime filij Corpuſculum, procumbentes, vota Arenenſi Virgini, feruentiſsimis ſuſpirijs faciunt; vitamquè filio reſtitui poſcunt. Fauet illa, ſuccuritq; promptiſsima; ac vt ſolennitas illa tãto glorioſius effulgeat, vitã puero, Parentibuſquè expetita ſolatia, impetrat. Qui morâ non interpoſitâ voti exoluendi causâ, in Arenis comparentes, rediuiuum Virgini filium obtulerê, hoc nimirum agente Virgine, ceu dilecta Sancti Spiritus Spõſa; vt exinde gratiarũ actio publica,

tan-

tanquam sonus aduenientis spiritûs vehementis, totam domũ Arenensẽ compleret; cumq; magnalia Dei ab omnibus prædicãtur, ceu linguæ cælitus missæ, sedisse super singulos viderentur.

SEd nec arcana vis morbi incogniti, magnũ hoc Arcanorum Dei oraculum, latere, effugereque potuit. Magno id firmauit argumento Anno Christi 1663. die 25. Mai Albertus Brzeski Ciuis Velicensis, cum vxore, liberis, ac familia domûs, Admirandam in Arenis Virginẽ ex voto visitans. Inuaserat domum eius atrox quædam vis morbi incogniti; cumquè post eum, vxorem quoquè, liberos, ac familiam domûs corripuisset, irremediabili malo, pariter in omnes sæuiebat.. Triste id, & funestum, ac eo periculosius, quod medicam omnẽ manum respueret, medendiq; peritiam incognitâ virulẽtiâ superaret. Tentata nihilominus à medicis, quantumuis hæsitantibus, varia remedia, nec quidquam profecêere; iamq; desperatis remedijs, malum illud ceu incurabile relinquebatur, cum subit animum ipsius cælestis medicinæ cogitatio, Arenarumquè celebris gloria. Huc ergo animũ afflictus ille, cum tota ægrotantium

turba, magno affectu conuertens, vt malo illi incognito, cognita orbi vuiuerso benignitate, succurrat medeaturquè Virgo, iunctis omnium lacrymis & suspirijs poscit. Placuit Virgini spes in casu desperato erecta, domum illam, totam planè decumbentem, visceribus misericordiæ complexa, illico erigit, sanatq; ingenti stupore omnium; qui plagâ illâ insanabili, oonsumptos omnino perditosquè crediderant. Releuati ope Virginis miraculosâ omnes, pari voto & affectu, in Arenensi Sacello comparuêre; agnitamquè beneficæ Virginis in malo incognito gratiam profitentes; testatum reliquêre; sepius à DEO immitti, humanæ prudentiæ incognita, vt opera DEI manifestentur in ijs, quorum à Matre sua, vel ideo frequentius pendere voluit oracula, vt eã ex Ore Altisimi prodijsse cõstet.

ANno Christi 1664. die 20. Mai profligatæ mortis spolijs trophæũ, Arenẽse adornari Virgini, noua iterum triumphalium manubiarũ occasio. Georgij Mleczko Mater, de villa dicta Wola, Berturska, fæmina ex simplicioribus villanis fuit: succumbens illa lethali morbo, deductaquè ad extremum vitæ terminum, occu-

buerat planè dolente nimium filio. qui cum eã defunctam omnino videret; orbitatisquè suæ impatiens grauitèr angeretur, post aliquot horas procidit tandem ingenti fiduciâ animatus, visusq; sibi procũbere, ante Sacrã Arenensẽ Imaginẽ, cum lacrymis supplicat, vt quæ vitã in Filio orbi perdito genuit, vitam Matris suæ, à Filio Mater, & Virgo impetret. Respexit illa simplicem, sed tanto confidentiùs agentem supplicationem, orbatiquè sine Matre filij miserata, miseretur & Matris; cui vitam impetrans, filium quoquè è profundo mæroris suscitat. Lætus ille, gratusq; beneficij, concepta pro Matre vota, dũ exoluit, consignari hæc monumentis publicis poscit, eâ simplicitate cordis, & oris; quæ DEO gratissima semper ambulat cõnfidentèr, faciliusquè impetrat, quod minùs facilè loquitur.

ANno Christi 1665. 20. Iulij. Discrimen agonizantium vltimum in vita, sed idem periculosissimum, misericordiæ Matri, cordi curæquè esse recognouit, Anna Ptaszkowa, ex oppido Krzepicensi, pia, honestaquè fæmina. Maritũ eius morbo grauiori ad agoniam vsquè dedu-

ctum, decretoria mortis hora in proximo vrgebat. Luctabatur intra viscera angustiatus, totòquè pectore anhelans spiritus, cumquè moribundi in eo hominis signa apparerent; iamq; horæ aliquot, inter durissimam illam agoniæ luctam transijssent, pia amansquè mariti sui coniūx tantæ ipsius colluctationis miserata; vota pro eo Arenensi Virgini concipit, oratquè; vt in extremo illo discrimine, punctoquè, ex quo salutis, aut interitùs, punctum omne pendet, benefica succurrat, suspirat hæc, respirat ille, ex vltima agoniæ lucta, mortisquè faucibus ereptus, ac mox officijs vitæ, & valetudini pristinæ integrè restitutus. quem vt ex illo naufragio liberatum, pia coniunx conspexit: sublatis in cœlum manibus, gratias Deo agens; quantum Virgini beneficium debeat, edocet. Votum proinde solemne ambo dū exoluunt, inter lacrymas gaudio mistas, ante Sacram Imaginem prostrati exemplo suo probant; in omni quidem discrimine, sed in eo potissimum, quod vitæ mortisquè terminos tenuissimo filo discrimat, nempe in hora mortis, Matrē vitæ & Gratiæ maximè inuocandam.

Non

NOn dissimile huic, pares quoquè inter angustias experta Catharina Szotinska de villa Nigra sic dicta, versus Czestochouiam sita: Anno Dñi 1666. 24. Iulij, & inter beneficia Virginis recenseri voluit. Confecta & hæc quoquè infirmitate graui, medicisq; desperãtibus planè derelicta animam agebat, quo in discrimine cõstitutam se videns, quantũ in illa colluctatione licuit, collecto spiritu, mente solâ Virginem Arenarũ miraculis celebrẽ implorat, votoq; se, si superuiueret sacrã eius imaginẽ visitandi obstrĩxit, hoc, & animã simul agentẽ eã, audit benigna Virgo, festinatoq; auxilio releuat, vix spirantẽ. Quæ cum se viuere, valereq; prodigiosè aduertit; Magnæ Virgini æternũ obstricta, vota sua adimplens, solennes gratias egit, constantiq; ex ea semel Matrẽ, semper Virginẽ, non desinere; parere semper, dum noua vitæ miracula parit, vt semper Mater sit.

NAufragantibus in periculo, vitæ cynosura, vt ad dispellendas quoq; tenebras aurora, nempè aurea dies lucisquè hora Virgo sit; lumen cæcis proferens, lucis filios parit; quos inter R. D. Cælestinus Gorayski, S. T. Lector

Ordinis Minorum S. Francisci Conuentûs Leopoliensis, Anno Domini 1667. die 5. Octobris Lucis suæ Matrem, Virginem Sanctissimam solennitèr testatus est. Abstulerat viro eximio, oculorũ dulce gaudiũ, profunda tædiosæ cæcitatis nox. Iamq; annis compluribus tristissimo illo velamine obrutũ, lumen cæli videre non permisit. Angebat hominẽ amara illa intercepti luminis caligo; cumq; remedijs omnibus resisteret, spem quoq; omnẽ præscidit; solis non nisi suspirijs, ad amissi lũminis desideria relictis. Inter hæc venit afflicto celebre Arenarũ nomen in mentẽ: atq; vt voto facto, Solis Iustitiæ Matrẽ, eo loci clarissimis miraculis lucentẽ, è tenebris suis respiceret, compellaretquè, animauit. Vix hoc ille deuoto animo concipit, oculosq; interiores ad iubar illud cæleste conuertit; lumen oculorũ illicò intercessione Virginis recipit. Lucis itaq;, & desiderati solatij compos, ad Diuinã illuminatricẽ suam festinat, atquè ad Aram Sacræ Imaginis eius, ter Sacris operatus, vota exoluit, beneficiũ recognoscit, miraculum prædicat, sanatam oculi sui pupillam in eius amabili vultu, summo cum gaudio defigens, quæ ipsa oculi Diuini pupilla est.

Sin-

SIngulare & illud, quod anno eodem 24. Decembris, Blasius Skowronowic, ex oppido Koziegłowy, summâ animi deuotione, nec minori gaudio retulit: proficisci eũ certo in negotio contigerat; quo in itinere constitutus, currui quo vehebatur cum insidet, ex altiori quodam monte equis cursu precipiti concitatis, habenasquè excutientibus, extremum vitæ discrimen adijt. Concussit ille impetus currum omnem, excussitquè sedentem, qui cum præceps labitur, medias inter rotas incidens, mentis, & consilij inops, citatissimo illo impetu, trahitur semianimis. Implicitus rotæ pes ille hæserat; quem rota in illo præcipitio violenter circumacta tribus in locis ossibus dissilientibus, horrendum in modum frangit, comminuitquè, ac summos inter cruciatus, propè occumbentem relinquit. Quid faceret miser ille subsidio, & curatione omni destitutus, iamquè ob atrocissimos dolores vltimo fato obnoxius. Non excidit nihilominus tanto casu perculso, salutaris Virginis Sanctissimæ memoria, ad cuius Sacram Imaginem Arenensẽ, alto, qualẽ inter horribiles illos cruciatus esse oportuit: gemitu suspirans vota concipit,

cipit, iamquè in soporē mortis, dolore illo mortifero declinat. Mirum sanè, illo ipso momento, quo ingemuit, pes eius tam dirè comminutus absquè vlla ope medica: fomentoquè vllo, solâ ope Virginis coalescit, & integritati suæ redditur. Dolores sæuissimi fugiunt, desperatus ille, vtroquè pede validus, surgit, & incedit, suoq; & omnium stupore maximo præ gaudio exilit. Curritque itaq; iter accelerans; vt Sospitatrici Virgini gratias, & vota exoluat, ante cuius Sacram in Arenis Iconem procumbens, quod exultare eum ad currendā viam, Virgo Benedicta fecerit, proclamat; & qui vnico iam pede, eoquè confracto à morte distabat; manibus, pedibusq; ad magnificandam Virginis beneficæ gratiam fertur; sic patuit etiam fractos ad Virginis gloriam, momento assurgere, exilireque pedes; ad cuius castissimum vterum, saliens in montibus, transiliensq; colles dilectus, ceu hinnulus ceruorum magnis è cælo passibus properauit.

CErtaminis Christiani Heroina iterum Virgo, in qua luctantium sudores detergens, vitam quoquè periclitantibus seruat. Quod Anno Christi 1668. die 28. Ianuarij Albertus Bialikowic

kowic Ciuis Biecensis, solenni testimonio recognouit. Is graui infirmitate consumptus, cum propè contabuisset, breui sensum omnem, & vsum linguæ amisit. Instabat post agoniã, quâ iam conflictari cœperat, vltimum haud dubiè momentum; cumquè à circumstãtibus præter luctum, & squallorem nihil opis, remedijquè pæstari posset; nonulli ex ijs qui eum impensiùs amantes, eripi sibi dolentes ferebant; ad remedia cælestia conuersi; votum pro eo magnæ Arenarum Virgini vouent; itaquè vt in extremis posito subueniat precantur. Pia hæc pro agonizante solicitudo, affectusquè condolentium Virgini gratus; sperato non excedit solatio, quippè moribundus ille ope Virginis subitò erectus, & ex agonia respirans; mox vires, & sanitatem, totoquè pectore gaudium recipit. Gratias deinceps ijs, qui pro eo votum concepērãt agens, & mutuâ ab illis gratulatione exceptus festinatis itineribus ad locum Arenarum contendit; Heroinæquè suæ, quæ ipsa murus, & cuius vbera turris, quod in illo discrimine nõ succubuisset, ex voto gratias debitas persoluit. Inuitamento alijs quoq; maximo, vt in illo oc-

casu, eam potissimùm inuocent, quæ portæ vitæ Orientalis est.

NEc minùs in paryalsi quoq; momento sublata, admirandæ Virginis beneficium quod Anno eodẽ 30. Martij ab Ioanne Truszkowski ex oppido Chęcinensi deuotè relatum est. Decubuit ille subitâ paralysi tactus, absquè vlla spe remedij, truncoquè potius quam homini similis, cum nec tantillum quidem loco se moueге posset; vitamquè absquè functionibus vitæ miseram sanè trahebat, tædiosus, & miserabilis ille, hominis viui propè cadaueris status, mentem afflictam penetrans altius, cum humana deficerent; ad remedia cælestia solicitè quærenda conuertit. Primam ergo post DEVM, humanæ infirmitatis medicinam: Virginem Sanctissimam compellat, atquè vt ex celebri Arenarum loco; quẽ si euaderet: visitare voto emisso promittit; collatam innumeris alijs opem accele-ret, orat: mouetur solito pietatis sensu ad eas preces Virgo ad quas paralytic, sola mente moueri potuit, cuius paralysĩ subito tollens, grabatum quoquè suum tollere, & ambulare eum Diuinâ Filij voce iubet, surgit ille plauditquè magnifi-

gnificans DEVM, atquè propero, quem Virgo reddiderat, non minùs animi, quã corporis motu, ad Sacram Imaginem Arenensẽ conuolans paralysim ope Virginis fugatam, & se feliciorẽ illo qui hominem non habuit, cum ad probaticam piscinam iaceret Matrem, DEI Hominis, Auxiliatricem habuisse fatetur.

AD littus Arenarum salus quoquè naufragantiũ pertinet, quam anno eodem, die 6. Iulij, duo, Iuuenes in tragica illa, ad Vistulã scæna inuenêre. Intumuerant sub id tempus ob violentiam imbriũ è montanis delatæ, Vistulæ fluminis vndæ; cum eâ die, quâ mercatus Cracouiæ consuetus, maiorem solitò hominũ frequentiam cogit, concurrentibus vndiquè qui in Casimiriensi portu, Vistulam traijcere festinabant, nautisquè frustra repellentibus, pertinacius conglomerati irruebant; ponto tandem nimiæ multitudini impar, manifesto omnium periculo, in altum fluminis procesſit. Mansêre alij circa littora feliciores, quod turbæ illi, immisceri non potuissent, ij verò qui transfretabant; cũ iam periculum euasisse videbantur; pontonis parte, inconsideratæ multitudinis confluxu re-

grauatâ; atquè momentò dehiſcente, aquis ō-mnes ij præſertim, qui eam partē impleuerant hauſti, & abſorpti ſunt, cum multi ex ijs ac potiſſimùm Velicienſes, multo ſale onuſti, ipsâ mole ſuâ in ima fluminis, momentò deſcēderint. Tragicum illud, & nullis vnquā lacrymis deflendū ſpectaculum fuit, cum centum triginta propè qui traijciebant numerarentur; ex quibus pauci qui in alteram pontonis partem declinauerant, ſeruati: reliqui omnes, etiā qui aliquandiu enatare tentârunt, aquarum violentiâ præcipitati & ſubmerſi ſunt. Fuêre inter hos, duo Iuuenes, eodem caſu, & impetu fluminis abrepti; cū vorticibus illis, iam iam abſorberentur: ad magnā in Arenis Virginē, vbi tunc Viſitatationis eius, Solēnis Octiduana feſtiuitas peragebatur, facto voto proclamant; nec aliam quam ſperauerant, experiuntur. quippè vndis quantumuis contra nitentibꝰ, ſuppoſitâ Virginis manu, enatauêre incolumes, ſtupentibus & ipſis, & qui id in magno illo concurſu ſpectauêre. Reſumpto igitur ſpiritu, ex illo littore ad Sacrū Arenarum littus, rectâ contendunt, ibidemq; Pharum ſuam, & Portum ſalutarem Virginē Sanctiſſimā

ſolenni gratiarum actione venerati, etiam ſine remis, veliſquè ſecundo flumine nauigare eos, quibus illa puppis & prora eſt, confitentur. cum nec exundantes vndæ, abundantiam gratiarum eius abſorbeant, & nec obdormiant in mortem qui Stellam Maris MARIAM reſpiciunt.

HAnc illi in naufragiò reſpexêre feliciter, quam in tenebris ſuis Vidua quædam, ex oppido Proſouienſi, Wieſniaczkowa dicta, non minùs auſpicato reſpexit; quod eodem Anno die tertiâ Nouembris grata beneficij teſtari voluit. Orbatā viſu triſtiſsima cæcitas, afflictam fecerat; iamquè remedijs nihil proficientibus, quatuor hebdomadis omnino cæca vlterioreē, calamitoſiſsimæ vitæ ſtatū, imminere ſibi in illa orbitate præuidebat. Anxia igitur gemenſquè, ad lucis & vitæ Matrem, Virginē conuerſa, Domina vt videam ſupplicat; vota Imaginis eius Arenenſis viſitādæ concipit. Inter hæc ſuſpiria, momentò lux oritur; illuminatq; ſedentē in tenebris: quæ cū ſe dulce oculorū lumē, dulciſſimæ beneficio Virginis, recepiſſe conſpexit, redditæ primitias lucis. eidē quantocius ferens, ſolennes in Arenis gratias, & vota reddit; teſtata

palàm ab ea ſibi oculorum veniſſe lumen, quæ Porta lucis fulgida eſt.

ANno Chriſti 1669. die 30. Iunij. Inferni terror, fulmenquè MARIA; quæ ſtygium ſerpentem illibato calcaneo conterens, omnem eius potentiam, in capite ſemel eliſit; vt ſemper vinceret: domuit quoquè in Arenis ſuis ſuperbam hanc, & immanenm poteſtatis tenebrarum Tyrannidem, fugauitquè ex ea, quàm hìc referemus, energumena, infernales hoſpites, animarum hoſtes. Erat hæc vxor famati Andreæ Roſzkowic Hortulani, nomine Heduigis; quæ maleficijs, quibus iam paſſim maltia humana, cum præſtigijs Dæmonum, extremè impunèquè ſæuit, grauiter infecta, atquè exinde à Dæmonibus obſeſſa, quorum tormẽto & infeſtatione, in dies, magis creſcẽte; miſerè aliquandiu vexata, loca tandem ſacra, ea præſertim, quæ magnæ Virgini dicata ſunt; religionis, & ſolatij impetrandi gratiâ adire ſtatuit. Ad Claromontanam proinde, D. Virginis Imaginem, in partibus his celeberrimã, primò ducitur; vbi adhibitâ pij, Exorciſtæ operâ & imploratâ Virginis Sanctiſſimæ ope, Atroxilla Auernalium

nalium Hospitum, quæ eam obsessam tenebat colluuies, post multas colluctationes, & iactationes Sacris, adiurationibus coacta, magno cũ fremitu, ad extremùm respondit: In Arenis se non nisi, corã Matre Altissimi exituros; cum ex nobilioribus & primarijs Dæmonum sint. Cum ergo nihil hic opera Exorcistarum proficeret; afflicta illa diuinæ voluntati parendum rata; relicto Claromonte, Cracouiam redit; totoq; affectu, ad Arenensem Imaginem festinat. Dies erat Principibus Apostolorũ, Petro, & Paulo Sacer; cum illa, in conspectũ Imaginis progressâ, quantumuis ab immanissimis illis tortoribus dirè vexaretur prohibereturq;, magnâ nihilominus, feruenti & constanti deuotione in supplicando persistens; cum in sacris Litanijs, Consolatrix afflictorum canitur; incondito clamore, fremitu, & horribili concussione exagitata, diuino per Virginem Sanctissimam impetratò beneficio, liberatur. Reliquit illam subitò stygia illa turba; momentòquè cerei omnes; qui ad Aram Virginis frequentes accendi consueuerunt extincti: ex quo signo apparuit, inimicos luci, Angelos Apostatas, ad tenebrarum suarũ

 infer-

infernale barathrum auolaſſe. Actæ poſt hæc ab omnibus gratiæ DEO ſolennes, cum præſertim & ipſam, ab omni vexatione liberã miro animi gaudio, & prædicatione tanti beneficij, gratias DEO & Virgini Matri agentem cernerent: atq; benedicto illo vultu, exſatiari non valentẽ, cuius aſpectum fideles animæ magnâ dulcedine & deſiderio requirunt, ſoli Dæmones & eorum aſſeclæ Sacrarũ Imaginum hoſtes Hæretici, non ſuſtinent.

ANno eodem Sereniſsimi Principis MICHAELIS KORIBVTH, admirandâ in Regẽ Poloniæ electione, & eiuſdẽ auſpicatiſsimâ Coronatione, memorando & inſigni, cũ vniuerſa ferme ad Auguſtam eius Inaugurationẽ Pololonia, & quidquid illi vicinarum Prouinciarum adiacet, Cracouiam Regni Metropolim confluxiſſet. Adfuit quoquè inter alios, vir Nobilis, Martinus Piegłowſki cum Ioanne filio, gaudia, ex Regalibus auſpicijs publica, pleno ſinu, & affectu excepturus. Sed quæ mortalium conditio eſt; miſcuit lætis triſtia, turbauitquè fragilitatis humanæ ſors, hilares illas, communi felicitati congaudentium ho-

horas, cum Ioannes filius, Febre ardentiori correptus, in præsentissimum vitæ periculum incidit. Defecerat eum, ipsis etiam desperantibus medicis. vlterioris vitæ spes; iamq; inter malignos illos æstus absumi omnino, & vltimos nonnisi cineres expectare visus, mæstissimo Parenti, luctuosam extremi doloris faciem portendebant cum ille pio affectu, ad magnam DEI Matrē admirandis suis in Imagine Arenensi celebrem conuersus, contra mortiferos illos febriles ardores, refrigeriū, & vitam, Filio supplex, à Virgine petit. Vix dum id conceptū actumq; cum eodē planè momēto febris remittere; vitæ & sanitatis spes redire. Ioannes filius conualescere, ac mox ceu lethalibus illis ardoribus nunquam adustus, in conspectu omnium sanus & integer, gaudia publica restituto domesticis tam inexpectato gaudio, accumulare cæpit. Actæ illicò ab omnibus, Virgini Sanctissimæ gratiæ die nimirū Decima Octobris qua id contigit, annuā gratiarū actionis, pro obtenta olim ex Turcis ad Chocimum victoriâ, memoriā referente: die verò duodecima Octobris Parens & filius, corā Sacra Arenensi Imagine compa-

rentes, beneficium Virginis testati, vota & solẽnes gratias impleuêre, læta exinde omnia & auspicatissima, Regio Sceptro KORIBVTHEO ominati; quod magna illa augustæ Coronationis Celebritate, nihil triste, & ominosum sinẽs, prosperis vndiquè Cœlum auspicijs, omnia coronasset.

FAustum id & Operi huic, quod Coronidẽ suam ad eiusdẽ Coronati Capitis auspicia referat, ceu diem illam publicæ felicitati desideratissimam expectasset, quam ab Aurora KORYBVTHEA in Orbe Polono inchoare, Arcanum iam olim Cœleste decreuerat. Benedices ergò diei huic felicissimæ, O lucis & gratiæ Mater! quâ Carmeli Tui Arenensis admiranda, prodire in lucẽ voluisti; quibus Coronidem quidem impones nunquã; cũ Thaumaturga sẽper in brachio Diuino sis: sed impones Coronæ Principis nostri, Benedictã illã manũ; quâ Benedictũ, qui venit in Nomine Dñi gestâsti. Ab hâc manu Principi nostro diadema, & sceptrum; quod Tibi substernit dicatq;, quæ cum stellatam in corde Poloniæ, ex Sidere KORYBVTHEO, sedẽ Tibi Regina fixeris; quidni

diui-

diuinæ illic cogitationes, Principem nostrum habeant? vbi Cor est MARIA. Hæc eum pro Ecclesia DEI, & Regno, cogitare facies, hæc pro eo, sollicita Mater cogitabis, vt quē diuinitùs Regem accepimus, Zelantē, Inuictū, Felicem, pro DEO & Patria Principē, & contra inimicos Crucis Christi, armata signis cœlestibus Cruce, magnum in Hoc Signo Victorem habeamus.

FINIS.





Errata sic corrige

Pagina		lege	
9.	*morbus*	lege	*morbus*
12.	*somnijs*	lege	*somnij*
24,	*immò*	lege	*imo*
44,	*meallicis*	lege	*metallicis*
49.	*Wolta*	lege	*wola*
50.	*Vorgo*	lege	*Virgo*
54.	*Paren*	lege	*Parens*
73.	*triumsabit*	lege	*triumphabit*
78.	*intacitas*	lege	*in tacitas*
80.	*quic*	lege	*quid*
83.	*quaestûs*	lege	*quéstus*
84.	*Virgininis*	lege	*Virginis*
87.	*pula*	lege	*puella*
96.	*Saugninis*	lege	*Sanguinis*
117.	*couflictam*	lege	*conflictatam*
124.	*conderatione*	lege	*consideratione*
158.	*soliciti*	lege	*sollicitі*
159.	*Protetrix*	lege	*Protectrix*
177.	*Sanguionolentum*	lege	*Sanguinolentum*
180.	*intollerabile*	lege	*intolerabile.*



1.500-